



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies decimus et undecimus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1868

De SS. Sanctino Ep. Et Antonino Seu Antonio Forte Etiam Episcopo
Confessoribus Meldis in Gallia Commentarius Historico-Criticus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71246)

DE SS. SANCTINO EP. ET ANTONINO
SEU ANTONIO FORTE

ETIAM EPISCOPO CONFESSORIBUS

MELDIS IN GALLIA

COMMENTARIUS HISTORICO-CRITICUS

§ I. Sanctorum in Fastis sacris memoria, cultus ecclesiasticus, spuria
nullius fidei Acta.

VEROSIMILITER
SEC. IV PROVE-
CTO.
S. Sanctinus,
cui ob ratio-
nem hic addu-
ctam Antoni-
um iungimus,

Etiamsi S. Sanctinus episcopus una cum S. Antonio, qui illi in sedem Meldensem proxime successisse dicitur communisque Antoninus vocatur, in Martyrologio, Coloniae et Lubecae anno 1490 excuso, itemque apud Grevenum et Canisium sequenti isthac modo, Sanctorum confessorum Sanctini et Antonii, qui successive ecclesiam Meldensem in pontificalibus rexerunt et in Domino quieverunt, ad xxii Maii diem annuntietur, eum tamen inde huc, quod hodie Meldis colatur, decessores nostri in Praetermissis remisere. Id porro iterum deinde ad xxii, quo in generali Sanctorum, Martyrologio Romano non inscriptorum, Ferrarii Catalogo Antoninus, ac in ipsomet Romano hodierno, verbis hisce, Apud civitatem Meldensem B. Sanctini episcopi, discipuli S. Dionysii Areopagita, qui ejusdem civitatis episcopus ab eo consecratus, primus illic Evangelium predicavit, adhibitis, Sanctinus signatur, Septembris diem facientes promiserunt fore, ut hic simul de S. Antonino, uti nunquam hac die, sed vel sequenti vel xxx Septembris, uti infra docebo, Meldis culto, tractarem. Ut itaque fidem abs illis datam liberem, tam de S. Antonino, quam de S. Sanctino, etsi interim e duobus hisce Sanctis solus posterior Meldis hodie colatur, acturus modo hic sum, idque eo propensius, quod, cum Antoninus, qui in Opus nostrum ad xxx Septembris diem, ei e dicendis ante annum 1640 in ecclesia Meldensi sacram, illatus nondum fuit, duodecima etiam Octobris die, ad quam anno illo ibidem fuit rejectus, inferri in illud, utpote abs isthac Octobris die ad xxx Septembris apud Meldenses modo remissus, convenienter, spectato, qui apud nos usitatus est, more, haud queat, de eo a nobis haud alio loco commodius ac magis opportune tractari posse putem, quam quo de S. Sanctino, cui forsitan re etiam vera in sedem Meldensem proxime successerit, modo hic ob mox dicta est tractandum.

2 Hisce praemissis, rem ipsam aggredior ac ab iis, quae de Sanctorum in Fastis sacris memoria cultuque ecclesiastico merito a lectore praeter modo de hoc argumento dicta desiderari posse videntur, exordior. Fastis sacris jam memoratis, quorum plerique S. Sanctinum sic celebrant, ut, quemadmodum infra sumus visuri, Sanctinos duos constituere videantur, ac-

cedunt alii nonnulli; ex horum autem auctoribus, qui omnes, ut apparet, unum dumtaxat Sanctinum admittunt, aliqui quidem hunc Meldis, aliqui contra Veroduni seu, ut ab aliis scribitur, Viroduni, nulla omnino Meldarum mentione facta, signant; verum de his, qui unum dumtaxat, quem Veroduni collocant, Sanctinum agnoscunt, sermonem tum demum, dum infra, duplexne re vera, an unus tantum statuendus sit Sanctinus, examinato, instituiam; quod autem ad alios, qui unicum, quem admittunt, Sanctinum Meldis designant, jam spectat, hic illos, ducto a recentioribus initio, propono. Qui Parisiense, quod anno 1727 prodit, Martyrologium contereuerunt, hodie in hoc S. Sanctinum Meldis disertissime annuntiant, eisque Castellanus, hodie inter Sanctos, qui in Martyrologio Romano tum signati haud reperiuntur, Sanctinum Meldis reponens, jam praeverat. Idem porro, qui et Castellano et iis, qui Martyrologium Parisiense concinnaverunt, antiquiores sunt, Galesinius et Saussayus, non quidem hodie, ut illi, sed cum martyrologio Romano ad xxii Septembris diem Sanctinum Meldis in Martyrologiis a se contextis signantes, fecere. Nec ab hisce Maurolycus et Felicius, qui non secus ac Saussayus et Galesinius, Sanctinum ad dictam xxii Septembris diem in Fastis sacris a se adornatis celebrant, dissentire sunt censendi; etsi enim, dum id faciunt, locum, cui hunc Sanctum nostrum attribuunt, haud expriment, eum tamen vocant Meldensem episcopum.

3 Verum ut quid e modo laudatis seu Fastis sacris seu hagiologis, qui Sanctinum Meldis, ut dictum signant, vel saltem ut Meldensem episcopum annuntiant, alii xxii Maii, alii xxii Septembris, ac alii denique xi Octobris die id faciunt? Ut quid etiam Centulense apud Sollerium Usuardinum Auctarium, quod Meldis pariter Sanctinum signat, in xii Octobris diem id differt? Cum Sanctinus e jam dictis ac porro dicendis xi Octobris die Meldis modo colatur, enimvero quin idcirco ibidem die isthac tam ab iis, qui Parisiense supra laudatum Martyrologium contereuerunt, quam a Castellano memoretur, dubitandum non est, nec scio, an etiam Sanctini Meldis memoria ad xii Octobris diem in dicto Usuardino

Fastis sacris
hic memoratis
ad dies

quatuor diver-
sos, ratione,
cur ii

AUCTORAE
C. B.

Usuardino auctario haud differatur, quod ad diem isthanc sec. XIV, cujus initio Centulensem, e quo id acceptum, codicem scriptum esse, Sollerius in sua in Usuardum Praefatione num. 226 docet, veneratione, Sanctis propria, Sanctinus Meldensis fuerit gavisus. In Turonensis ecclesiae, quod anno 1635 excusum notatur quodque penes nos exstat, Breviario S. Sanctinus, Meldensis episcopus, officio ecclesiastico ad XII Octobris diem honoratur, hincque sane fuisse aliquando, ut pariter a Meldensi ecclesia, a qua ad Turonensem cultus ejus indubie manavit, ea ipsa XII Octobris die honoraretur, suboriri haud immerito potest suspicio, non parum etiam augenda ex eo, quod Martyrologium Lubeco-Coloniense aliudque a Greveno vulgatum, in quibus Sanctinus una cum Antonino, ut num. 1 vidimus, die XXII Maii refertur, XII etiam Octobris die Meldis beatum Schynnum, episcopum et confessorem, ac proin, Schynni verosimiliter, pro Sanctini, nomine corrupte (neque enim episcopum et confessorem, Schynni appellatione distinctum, B Meldensis ecclesia ullum novit) exarato, Sanctinum, ut apparet, annuntiant.

horum singulis fiat, haud sat certa, inscribitur,

4 Quod autem ad tabulas sacras, in quibus XXII vel Maii vel Septembris die Sanctinus Meldis aut saltem veluti Meldensis antistes annuntiat, jam spectat, qua de causa is Sanctus noster, quem cultu ecclesiastico fuisse aliquando XXII Maii die gavisum, nihil omnino suadet, tunc nihilominus in Lubeco-Coloniensi, Greveni et Canisii Martyrologiis, num. 1 laudatis, signetur, edicendo haud sum; ast anne id quoque quantum ad supra adductos Fastos sacros horumve auctores, qui XXII Septembris die Sanctinum celebrant, obtinet locum? Petrus de Natalibus, Equilinus circa annum 1370, uti Italia Ughelli sacra, a Coletto aucta, tom. 10 col. 87 et seq. dilucide docet, creatus episcopus ac proin Maurolyco aliisque supra laudatis hagiologis, qui Sanctinum die XXII Septembris memorant, multo antiquior, in suo Sanctorum Catalogo lib. 8, cap. 108 vix non omnia, quae de Sanctino in spuris hujus Actis, Hincmari epistolae infra huc transcribendae inclusis, traduntur, summam recenset ac deinde, Sanctinum die XXII Septembris obiisse, affirmat. Sanctinus, ait, dormivit in Christo x. cal. Octobris; hinc autem factum esse, ut Sanctinus in sacris per Maurolycum aliosque supra laudatos contextis Fastis, imo et in ipsomet Martyrologio Romano hodierno (neque enim in hoc illum ante Equilini aetatem illatum fuisse reor) modo ad XXII Septembris diem obtineat locum, existimari posse videtur.

cuiusque ecclesiastico Meldis ab Equilini aetate,

5 At vero unde is scriptor, XXII Septembris die obiisse Sanctinum, habuit perspectum? Quo die ad Dominum migravit hic Sanctus noster, spuria ac commentitia, quae jam laudavi, qualiacumque ejus Acta haud tradunt, ilque non XXII, sed XVII Septembris die accidisse, Hugo Flaviniacensis, qui non paucas Actis illis notas chronicas, e fonte, nescio, quo, haustas, adjecit, in Chronico Verodunensi apud Labbeum Bibliothecae Mss. tom. 1 pag. 82 affirmat. Equilinus, uti ipsemet in praefatione, mox citato Catalogi sui libro octavo praemissa, declarat, non alios in hoc Sanctos, quam quorum festivitates a Kalendis Septembris usque ad Kalendas Octobris occurrunt, recenset. Quid

si ergo, cum forte, XXII Septembris die Sanctini festivitatem Meldis agi, persuasum sibi haberet, non alium, quam quo ibidem haec celebraretur, diem existitisse nostro isti Sancto emortualem, existimavit hincque eum tunc obiisse, loco supra cit. scripserit? Sane id, ut potest, ita etiam re ipsa factum, vero haud absimile mihi vel ex eo apparet, quod nulla prorsus Equilino antiquiora, quibus hic inductus Sanctini mortem in XXII Septembris diem coniecisse queat, documenta inveniantur. Ut sit, Sanctino equidem Meldis cultum ecclesiasticum, ut de hoc speciatim magis modo agam, vel jam inde ab Equilini aetate vel etiam ante fuisse exhibitum, videtur e jam nunc de scriptore isthoc dictis concludendum.

6 Imo vero ibidem venerationem erga Sanctinum hujusmodi multo etiam citius obtinuisse locum, opinor indubitatum. Nec, quo minus ita sentiam, impedire potest minus profecta supra laudatorum, in quibus Sanctinus XXII Septembris die vel Meldis vel saltem ut Meldensis episcopus annuntiat, Fastorum sacrorum aetas. Quamvis enim hi omnes seculo IX, imo et sec. XII longe posteriores sint, Servorumque Dei in Fastis hujusmodi descriptio nec pro cultu ecclesiastico habeatur, nec illos, quorum ita recolitur memoria, veneratione Sanctis propria alicubi affici, argumento indubitato sit, hac tamen apud Meldenses ante sec. XIV, quo Equilinus floruit, imo et ante sec. X Sanctinum fuisse gavisum, evincunt, quae jam nunc adducam in medium. Apud Surium ad IX Octobris diem Hilduini Areopagiticis, quorum notitia in Opere nostro ad eandem IX Octobris diem in Commentario, Dionysii Areopagite Actis praevio, num. 4 suppeditata jam est, subnectitur Hincmari, Remensis archiepiscopi, anno circiter 806 nati, epistola, ad Carolum Calvum anno circiter 876, uti ex Operis nostri tom. 4 Octobris pag. 709 intelligitur, conscripta; hac autem, Sanctino honorem, Sanctis deferri solitum, fuisse etiam ante sec. X apud Meldenses delatum, lectori facile me persuasurum, puto; verum, priusquam id faciam, epistolam illam, quod non parum usui futura hic sit, integram huc una cum spuris, quae complectitur, qualibuscumque seu Dionysii, seu Sanctini et Antonini Actis, ratione etiam, ob quam Hincmario haud abjudicandam opiner, ad calcem adjecta, transcribo. Sequentibus his verbis concipitur: Domino glorioso Carolo, imperatori Augusto, Hincmarus nomine, non merito, Rhemorum episcopus ac plebis Dei famulus.

imo etiam multo citius, uti ex Hincmari,

E

F

quae huc

7 Lecta B. Dionysii Passione, a Methodio, Constantinopolim Roma directo, Graece dictata, et a B. Anastasio, utriusque linguae perito et undecun- que doctissimo, sanctae Sedis Apostolicae bibliothecario, Latine conscripta, sicut in praefatione sua narrat, recognovi, his, quae ibi scripta sunt, ea, quae in adolescentia legeram, consonare, videlicet per quos ac qualiter gesta martyrii beati Dionysii sociorumque ejus ad Romanorum cognitionem, indeque ad notitiam Graecorum pervenerint. Nam quando, Deo disponente, in Franconofurth palatio natus estis, Hucberto, praecentori palatii, episcopium Meldensis civitatis commissum est, ubi propter Hilderici episcopi aetatis prolixitatem et diutinam aegritudinem, quaedam ad scientiam et religionem

A ligionem pertinentia, nec non et ædificia ac cætera quæque necessaria, neglecta invenit. Quapropter a familiari suo Bodone, clerico domini et nutritoris mei Hilduini abbatis, sacri palatii clericorum summi, quemdam clericum, ipsius Bodonis propinquum, nomine Vuandelmarum, qui cantilenam optime a Teugario magistro in sancti Dionysii monasterio didicit, ad erudandos clericos suos obtinuit, cui abbatiolam beati Sanctini in beneficium dedit.

S Isdem autem Vuandelmarus in loco sibi commisso quaterniunculos valde contritos, et, quæ in eis scripta fuerant, pene deleta, de vita et actibus beati Sanctini reperit: quos propter notitiam familiaritatis, et quia me sciolum putabat, ad exhaurienda ea, quæ in iisdem quaterniunculis contineri videbantur, et ad transcribendum aperte in nova pergamina mihi commisit. Quod et studiose peregi, et mihi commendata commendanti restitui: sed quia diu est, quod idem Vuandelmarus etiam ante obitum Hucberti defunctus fuit, et, sicut audivi, idem locus neglectus exitit, ac demum in eadem urbe Nortmanni fuerunt, et quedam incendio ibi concremaverunt, quædam vero prædantes diripuerunt, nescio, si ipsi quaterniunculi vel eorum exemplaria in eadem urbe valeant reperiri. Propterea exemplar eorum, quod mihi retinui, vestro devoto et bono studio offerendum putavi, ut, si quæ sunt illorum reliquæ, qui negabant, dominum et patrem nostrum, patronum vestrum Dionysium esse Areopagitem, a beato Paulo Apostolo baptizatum, et Atheniensium ordinatum episcopum, et in Gallias a beato Clemente directum, ex his, quæ Græca testificatio, et sanctæ Sedis Romanæ attestatio, et Gallicana intimat contestatio, ratum et in hac causa, quod longe ante nos dictum est, recognoscant: quia veritas, sæpius exagitata, magis splendescit in lucem.

B 9 " Sanctus Areopagites Dionysius, egregia " Pauli Apostoli prædicatione, fidei veritate il- " luminatus, et in nomine sanctæ ac individuae " Trinitatis baptizatus, demumque celestium " mysteriorum arcanis sufficienter instructus, " Atheniensium est ordinatus episcopus. Proce- " dente autem tempore, magistri desiderio et " beati Petri amore, quem una cum præceptore " suo Paulo apud sepulchrum vitæ principis viderat, et docentem audierat per revelationem, " ordinatasibi commissa Ecclesia, Romam venit, " quos nequissimi Neronis crudelitate jam martyrio coronatos invenit: et a beato Clemente, " Petri Apostoli successore, amabiliter ac honorabiliter susceptus, post aliquod spatium temporis, cum aliis ad eroganda divini semina in " Gallias est directus. Qui prædicando et sermonem confirmando sequentibus signis, Parisios, " ducente Domino, pervenit. Destinatis quoque " sociis per diversas civitates ad dolos diaboli " destruendos et populos Domino acquirendos, " Sanctinum ordinavit episcopum, et Carnotum " eos illuminare, qui in tenebris et in umbra " mortis erant, inspirante Domino, misit: ubi " eum per aliquod temporis immorari disposuit. " Postea vero Meldensium civitati pastorem et " episcopum esse constituit, ejusque suffragio " Antoninum, qui junior ad distinctionem senioris Antonini prenominebatur, adhibuit.

10 " Domitianus denique impiissimus cæsar, " post Neronem sævissima persecutione in Chri-

Octobris Tomus V.

" stianos exæstians, lictores ad perquirendum et " comprehendendum Dionysium, cujus famam " in destruendis idolis et convertendis ad Christum populis, per multos audierat, in Gallias " misit, ut eum diligenter perquirerent, et inventum ac comprehensum, aut idolis sacrificare cogere, aut diversis suppliciis affectum " occiderent. Quos cum beatus Dionysius ad fines Parisiorum appropinquare comperit, Sanctinum et Antoninum ad se accersivit, quibus " præcepit, ut sermones et agones ipsius solenter intenderent, et memoriæ commendarent, " ac quibus tormentorum generibus per passio- " num supplicia corporis vitam finiret, conspicientes Romanæ Sedis Pontifici et fidelibus, " quos tunc ibidem invenerint, (quia, unde in orbem Christianorum persecutio procedebat, illic ardentius conflagrabat) per ordinem nunciare quantocyus studerent: eosque obnixè deposcerent, ut Atheniensium civibus ea nota " facerent, quatenus et ipsi Domino pro cursu " laborum ejus impleto gratias agerent, et erga " cultum ejus bono animo fierent.

11 " Consummato siquidem beato Dionysio " per martyrii palmam, Sanctinus et Antoninus, " sicut eis præceptum fuerat, Romam iter agredi maturaverunt: et venientes in Italiam, " Antoninus valida febre correptus est. In cujus " obsequiis per aliquot dies Sanctinus immoratus, consilio ac consensu ejusdem Antonini, ne " præceptio beati Dionysii quacunque occasione " impediretur, peragere cœptum iter disposuit, " et sufficienter xeniis ac honestis linteis principi domus, in qua jacebat Antoninus, commissis, petiit et per Dominum obtestatus est eum, " ut, si Antoninus convalesceret, exinde illi " abundantissime ministraret: si etiam vita decederet, honestissime sepeliret: et sic iter, " quod ceperat, peragendum arripuit. Et, cum " Sanctinus fines Romanorum jam contigit, Antoninus vita decessit. Quem princeps domus, " retentis omnibus, quæ sibi in obsequiis ejus commendata fuerant, catabuli sui, in quo animalia ejus manebant, axes levavit, et in fossam, ubi stercorea et urina animalium defuebant, projecit, et desuper axes remisit.

12 " Quæ mox omnia Sanctinus per Spiritum " Sanctum cognovit, et eum maxima festinatione " reversus ad domum, in qua Antoninum jacentem dimiserat, flens et dolens pervenit, et " principem domus interrogavit: Ubi est, in " quibus, Antoninus frater meus charissimus? " Is autem fictis gemitibus ac suspiriis simulata " mœstitia, Mortuus est, inquit, quem de mihi " a te commissis honestissime sepelivi. Cui Sanctinus: Mentiris, inquit, fili diaboli, in sterquilinum projecisti eum Virum sanctum et justum; et nunc veni mecum ad catabuli locum, " in quem projecisti eum. Is autem timore percussus, non est ausus reniti, quin cum eo veniret ad locum, ubi eum projecerat. Et levantes inde axes, Sanctinus cum lachrymis clamavit voce magna dicens: Antonine frater, " in nomine Domini nostri Jesu Christi, pro cuius nomine et amore passus est gloriosissimus " martyr Dionysius, surge et perficiamus simul " obedientiam, quam idem pater et magister " noster communiter nobis præcepit.

13 " Et statim Antoninus stercore obvolutus " surrexit, quem Sanctinus de catabuli fossa extraxit, et diligentissime lavit, et mundis ac " honestissimis

AUCTORE
C. B.

E
adjuncta habet,

* cooperat

S. Sanctini
Actis
F

transcribitur,

AUCTORE
C. B.

„ honestissimis vestibus induit : sique offeren-
tes Domino sacrificium laudis, Eucharistiæ
„ Corporis et Sanguinis Christi participati sunt:
„ et accipientes cibum, confortati sunt, et iter
„ ceptum aggredientes, Romam, auxiliante Do-
„ mino, pervenerunt : et, jam beato Clemente
„ martyre coronato, in eadem Sede sanctum
„ Anacletum, natione Græcum de Athenis, qui
„ fuerat a beato Petro Apostolo presbyter ordi-
„ natus, consecratum Pontificem invenerunt.
„ Cui per omnia, sicut eis heatus Dionysius jus-
„ serat, actus et martyrii ejus ordinem narra-
„ runt. Perfectoque negotio, ad civitatem Mel-
„ densium reversi fuerunt, ubi sanctæ prædica-
„ tioni ac piis operibus insistentes, Sanctinus
„ plenus fide, virtutibus ac bonis operibus ad
„ cælestia regna transivit. Cui Antoninus in epi-
„ scopatu successit, et per plures annos in san-
„ cto officio degens, cum multiplici bonorum
„ operum fructu et animarum lucro migravit ad
„ Dominum, cui est honor et gloria per omnia
„ seculorum secula. Amen. ”

B 14 Hanc epistolam, cui a num. 9 inclusa
S. Sanctini Acta nullam plane fidem mereri,
et Hincmaro vindicatur,
unusquisque, ni fallor, ob rationes, in Com-
ment. Dionysii Areopagitæ Actis prævio,
§ v adductas hincque idcirco non repelendas,
haud difficile agnoscat, pro adulterino sub
Hincmari nomine confictio instrumento haberi.
Calmetus in sua Historiæ Lotharingicæ tom.
I præmissa de primis ecclesiæ Verodunensis
episcopis Dissertatione col. 64 affirmat, fictio-
nemque Wandelmaro, quem haud diu post an-
num, uti infra videbimus, 823 Meldensi B.
Sanctini abbatiæ Hubertus I, Meldensium epi-
scopus, præfecit, esse attribuentem, suspicari
Tillemontium. Duplessius Meldensis Hist. tom.
I pag. 5 insinuat. Verum ea, quæ Epistolæ il-
lius initio habentur, a S. Sanctini, quæ in hac
sub finem recitantur, Actis sunt distinguen-
da. Hæc, at non item, quæ proprie Hincmari
epistolam constituunt, illa, a Wandelmaro
fuisse conficta, Tillemontius tom. IV Monu-
ment. ecclesiast. pag. 721 suspicari videtur;
etsi autem, an epistola ista Hincmari vere sit,
dubitasse forsitan videri etiam queat, haud
propterea tamen Remensi huic archiepiscopo
C adjudicandam, merito quis suspicetur. Sir-
mondus quidem, ut loco cit. Tillemontius ait,
Hincmari Operibus eandem epistolam haud
accenset. Verum Frodoardus, Hincmari ad
Carolus Calvum epistolas lib. 3 Hist. eccle-
siæ Remensis cap. 18 recensens, epistolam
hisce de Vita vel actibus beati Sanctini annu-
merat, cumque sic, ut apparet, Hincmari, de
qua hic nobis sermo, epistolam designet, est
sane, cur hanc Remensi isti archiepiscopo
haudquaquam abjudicandam, sed contra at-
tribuendam, Frodoardi, qui sec. X floruit ac
proin Hincmaro prope æqualis fuit, auctori-
tate impulsus arbitremur.

epistola fuit
perspicuum,
fuit gavisus,
isque,
15 Porro Hincmarus, qui, quemadmodum
modo ostendi, dictam epistolam scripsit ac e
dictis sec. IX floruit, certe in iis, quæ de re-
bus, tunc gestis, in illa memorat, fidem in-
dubitam, nisi forsitan alibi de re, quam
sat exploratam habere haud potuit, agatur,
sibi adjungit. At vero, sciscitabere, quorsum
hæc de Hincmaro scriptaque abs eo ad Car-
olum Calvum epistola? Hubertus, in hac
supra num. 7 memoratus, fuit et tunc, cum
Carolus Calvus natus est ac proin anno 823,

Meldensis episcopus, uti ibidem Hincmarus D
prodit, creatus et haud diu, ut apparet, post
Wandelmaro, cui clericos suos cantandi arte
imbuendos commiserat, Meldensem S. Sanctini
abbatiolam in beneficium concessit; cum autem
sic habeat, hæc certe, quæ, quemadmodum
Duplessius loco supra cit. docet, priori mutato
statu, collegiata tandem, quæ hodieque Meldis
conspicitur, evasit ejusdem Sancti nostri no-
mine insignita ecclesia, fuerit ibidem, specta-
tis iis, quæ Hincmarus supra in præfata epi-
stolam. 7 scribit, jam inde a sec. IX nondum
valde protracto, si non multo etiam citius, ex-
structa; quare, cum servi Dei, a quibus nomi-
nantur ecclesiæ, hoc ipso colantur ut Sancti,
hique locis sacris, sub nomine suo dedicatis,
potissimum honorari cultu ecclesiastico so-
leant, enimvero ambigendum non est, quin hic
Meldis jam inde saltem a dicto sec. IX, si non
multo etiam citius, Sanctino fuerit exhibitus.
Neque vero ei ibidem exhiberi hactenus desti-
tit, imo inde etiam alio est propagatus. Tam
hoc, quam illud infra. cum primum de vene-
ratione, qua pariter Antoninus Meldis afficitur, E
fuerit locutus, ostendam.

16 Generali Sanctorum, Martyrologio Ro-
mano non inscriptorum, Ferrarii Catalogo,
in quo ad XIII Septembris, aliisque Fastis sa-
cris num. I memoratis, in quibus ad XIII Maii
diem Antoninus, ut ibidem docui, signatur,
accedit Ms. nostrum, quod ad posteriorem hanc
diem, Sanctino primum velut martyre annun-
tiato, brevissime deinde Antonii confessoris me-
minit, Florarium, huiusque ecclesiæ Meldensis
Martyrologium antiquum Gallicanumque a
Sausayo contextum est jungendum. Postre-
mum, quod Antoninum hodie celebrat, proli-
xiori elogio, integro fere et spuris Hincmari
moæ recitatæ epistolæ inclusit S. Sanctini Actis
de prompto ac proin vel idcirco huc haud tran-
scribendo, id facit; primum vero paucis dum-
taxat, ut Duplessius Historiæ Meldensis tom.
I, pag. 622 docet, Antoninum ad XXX Septem-
bris diem annuntiat hisce verbis: Pridie Ka-
lendas Octobris, civitate Meldis, S. Antonini
episcopi et confessoris. Ita vetustum illud Mel-
densis ecclesiæ monumentum. Nec præter mo-
do hic et supra num. I relata hagiologia aliud F
ullum, in quo S. Antoninus memoretur, inve-
nio; ut enimvero paucis dumtaxat ac fere
tantummodo recentioribus tabulis sacris ex-
stet insertus: verum etsi sic habeat ac ne qui-
dem in Martyrologio Romano hodierno ade-
ptus sit locum, Meldis tamen, si non, ut S.
Sanctinus, jam inde a seculo IX, haud serius
equidem, quam jam inde a seculo XIII cultu
ecclesiastico fuit gavisus. Id e datis anno
1259, quas ex ipsomet autographo inter
instrumenta, probandæ San-Dionysianæ Histo-
riæ subservientia, Felibianus ad hujus a se
conscriptæ calcem pag. 125 recenset, decani
et capituli Meldensis litteris haud inepte,
ut apparet, potest colligi.

17 Hæc, ut de re ipsemet per se haud diffi-
cilliter queat studiosus lector ferre judicium,
integras huc transcribo. Sic habent: Universis
presentes litteras inspecturis J. Decanus totum-
que capitulum Meldense æternam in Domino
salutem. Notum facimus, quod nos attenden-
tes devotionem, quam religiosi et honesti viri
Matthæus abbas et totus conventus beati Dio-
nysii in Francia, habent erga nos et ecclesiam
nostram

qui non secus
ac cultus, S.
Antonino, ut
paucis tantum
Fastis sacris
inserto,

ibidem parti-
ter a longissi-
mo tempore
exhibitus,

A nostram et hactenus habuerunt, volentes eos benigno favore prosequi congruisque muneribus honorare ob honorem Dei ac præcipue beati Dyonyssii martyris, eorum patroni, petitioni ipsorum, qua de Sanctorum, qui in nostra Meldensi ecclesia requiescunt, reliquiis, videlicet beatorum Sanctini et Antonini confessorum Christi, sibi a nobis dari cum humilitate maxima petierunt, pio faventes affectu, de communi omnium nostrum consilio ac venerabilis patris A. Dei gratia episcopi nostri Meldensis, nostroque ad hoc interveniente consensu, costam unam de corpore sancti Sanctini præfati et unum de ossibus brachii Sancti Antonini prædicti eisdem abbati et conventui in perpetuum liberaliter duximus conferendum. In cuius rei testimonium et munimen eisdem abbati et conventui præsentibus concedendas sigilli nostri munimine roboratas. Datum anno Domini MCLXIX mense Augusto. *Cum itaque, uti e litteris hisce intelligitur, SS. Sanctini et Antonini reliquias Sandionysiani in Francia monachi eniavis iuxta ac supplicibus precibus ab ecclesie Meldensis decano et canonicis postularint, hique illas, veluti munus haud exiguum, præfatis religiosus viris, consentiente Meldensi episcopo, anno 1259 concesserint, id sane tunc apud Meldenses, qui apud sese tam S. Sanctini, quam S. Antonini reliquias quiescere, indubitanter, etsi ex infra dicendis haud recte, credebant, binos hosce Sanctos nostros, ac proinde quo hic nominatim sermo, Antoninum summa in veneratione fuisse, argumentum est invictum; cum autem sic habeat, enimvero dubitandum non apparet, quin is, qui non secus ac Sanctinus in jam datis litteris Sanctus vocatur, honore Sancti proprio Meldis jam inde saltem a seculo XIII fuerit gavisus.*

18 Porro religiosa Sanctorum nostrorum veneratio, quæ, quemadmodum e modo dictis nemo non eruel, a pluribus jam seculis locum Meldis obtinuit, constanter ibidem hodieque, mutatione tamen in ecclesiasticum, quo honorantur, cultum subinde invecata, perseverat. Id e jam nunc dicendis patescet. Duplessius Hist. Meldensis tom. I pag. 622 opportune ad institutum nostrum hic scribit, quæ e lingua

C Gallica in Latinam versa eo fere recidunt: Secundum Ms. diocesis Meldensis anni 1492 Breviarium S. Antoninus Meldis die xxx Septembris ritu semiduplici tum colebatur, rejecto S. Hieronymi, qui tum pariter ibidem ritum tantummodo semiduplici colebatur, in alium diem officio. Verum Hieronymus, ritus duplicis anno 1640 effectus, die xxx Septembris, S. Antonino in XII, quæ S. Sanctini festum proxime excipit, Octobris diem dilato, fuit celebratus. In Meldensi, quod penes nos exstat quodque anno 1640 excusum notatur, Breviario ad xxx Septembris diem de S. Hieronymo ritus duplicis, XII vero Octobris de S. Antonino ritus semiduplicis officium præscribitur; ut sane, quod de mutatione in S. Antonini et S. Hieronymi cultum anno illo invecata Duplessius verbis jam nunc recitatis ait, veritati apprimè consonet. Nec dubitandum est, quin verum etiam sit, quod hisce mox subjungit, sic de cultu, quo Antoninus Meldis hodieque afficitur, scribens: Hodie S. Antoninus ritu semiduplici haud amplius colitur, estque, sed simpliciter dumtaxat commemoratione in xxx

Septembris diem, S. Hieronymo sacram, remissus. Ita ille, jam antea citato Historie Meldensis tomo pag. 620 de S. Sanctini Meldis hodieque pariter perseverante cultu sequentem fere locutus in modum: S. Sanctinus in Ms. ecclesie Meldensis anni 1492 Breviario ritus duplicis officio colitur; id autem ad ritum duplicem majorem cum octava anno 1546 fuit evectum; verum post Breviarii novi editionem ritu dumtaxat duplici absque octava Sanctinus celebratur.

19 Ita hodieque hunc Sanctum nostrum ad alia etiam Meldis coli, laudatus scriptor verbis hisce nos docet, cumque eodem prorsus ritu Sanctinus die IX Octobris coli in Meldensi jam supra cit., quod penes nos exstat, anni 1640 Breviario jubeatur, non aliud forsitan, quam hoc ipsum, per novum, cujus meminit, Breviarium intelligit. Ut sit, modo a cultu, quo Sanctinus die XI Octobris Meldis hodieque afficitur, ad cultum, quo aliis etiam locis gaudet, sermonem convertito. Potissimum hæc inter numerari, ut apparet, debent Verodunum, Turones, Carnotum, celebris in Francia S. Dionysii abbatia ac denique diocesis Lemovicensis vicus, qui, appellatione a S. Sanctino partim accepta, S. Xantini de Malemort nuncupatur ac ibidem, ut Gallie Christiane auctore Scriptores tom. VIII, col. 1597 notant, ad Bricam est situs. Sanctini quidem in priori e locis hisce cultus, non prorsus certus, sed vero dumtaxat est similis, quod is Sanctus noster non certo, sed tantum, uti ex infra dicendis patescet, verosimiliter cum S. Sanctino, quem, ut primum suum episcopum, Verodunenses XI Octobris die quotannis, uti post videbimus, venerantur, unus idemque sit.

20 Verum de cultu, quo quatuor aliis jam nunc memoratis locis gaudet, aliter loquendum, ac primo quidem Turonis veneratione, Sanctis propria, quotannis illum affici, fidem facit supra laudatum penesque nos exstans Turonense anni 1635 Breviarium, in quo ad XII, non autem, ut Bailletus et post hunc Duplessius aiunt, ad XIII Octobris diem ecclesiasticum de S. Sanctino, Meldensi episcopo, Officium sub ritu duplici recitandum præscribitur. Nec, quin Sanctus hic antistes Carnoti quoque et in San-Dionysiana Francie abbatia, cum qua Sanctorum nostrorum reliquias anno 1259 communicare voluisse Meldenses canonicos, supra vidimus, colatur ut Sanctus, dubitare sinunt Calmelus et Duplessius. Postremum enim horum prior in sua de primis ecclesie Verodunensis episcopis Dissertatione pag. 65 diserte affirmat, Carnotique in cathedrali ecclesia exstare, in quo Sanctinus honoratur, sacellum, sub Sancti hujus episcopi nomine Deo consecratum, tam ipse ibidem, quam Duplessius Hist. Meldensis tom. I, pag. 614 nos docet; quod autem ad ejusdem Sancti nostri in dicto diocesis Lemovicensis vico cultum jam spectat, mox iterum laudatus Duplessius ibidem ex ecclesie, quæ in margine citat, Lemovicensis monumentis verbis Gallicis, Latine a me redditus, sic scribit: S. Xantini de Malemort in diocesi Lemovicensi incolæ partem cranii sancti hujus Antistitis sese possidere arbitrantur; sed qua ratione, aut tempore sacras hasce reliquias acceperint, haud edicunt. Vicus interim e veneratione in Sanctum, quem pro patrono habet,

hodieque perseverat.

sese diffusit.

AUCTOR
C. B.

bet nomen ejus sibi imposuit; et quamvis hoc ibidem paulo aliter (Xantin *nimirum pro* Saintin) scribatur, is ipse nihilominus est, quem loci incolæ Meldensem episcopum existisse, credunt.

etiam interim,
quæ gessisse.
Sanctinus nar-
ratur, in fidei
probata Actis

21 *Cultus itaque, quo in quatuor postremis modo hic memoratis locis Sanctinum etiam gaudere asserimus, omnino apparet e jam dictis certus. Utinam modo, quæ hic Sanctus noster gessisse memoratur, certa pariter forent! Verum Hincmari supra huc transcriptæ epistolæ inclusa, quibus horum pleraque innituntur, seu Dionysii seu Sanctini Acta adeo sunt ridicula, adeo omni etiam veritatis specie destituta, ut fidem certe inventura sint apud neminem, qui Critices artem vel a limine salutarit ac a me, quæ huc spectant, in Commentario, S. Dionysii Areopagitæ Actis prævio, num. 87 prolata expenderit. Alia quidem etiam, e quibus, si probatæ antiquitatis ac notæ forent, probari nonnulla, quæ de S. Sanctino narrantur, possent, nostri hujus Sancti Acta Calmetus in sua de primis ecclesiæ Verodunensis episcopis Dissertatione pag. 61 compendio exhibet; verum præterquam quod haud citius quam sec. x, uti ibidem Calmetus docet, sint conscripta, anonymus eorum auctor Sanctinum, quem una cum Dionysio Areopagita sub S. Clemente Papa jam se ne adducit in Gallias, martyrio vitam finisse, diserle, contra ac ipsamet, antiquiora Hincmari supra huc transcriptæ epistolæ inclusa Acta tradunt, affirmat, nihilque, quod sat sit in venerandæ antiquitatis fideique indubitatae documentis fundatum, memoriæ prodit.*

fundata haud
sint.

22 Hugo Flaviniacensis, qui seculo xi floruit, Acta illa sibi prælucentia habuit, partimque ex hisce, et antiquioribus Hincmari epistolæ inclusis Actis tertia quæpiam, quæ apud Labbeum tom. i Bibliothecæ Mss. a pag. 73 exstant, S. Sanctini Acta, variis adjunctis, nescio, unde acceptis, aucta notisque chronicis, a chronologia, quam vel ipsemet sibi finxerat vel certe sequi volebat, dictatis, munita, conflavit. Hinc factum, ut quamvis in antiquioribus Hincmari epistolæ inclusis Actis nec de Veroduno, nec de Sanctini ibidem episcopatu mentio instituat, Hugo tamen in contextis a se Actis opinionem eorum, qui, teste apud Dacherium tom. 12 Spicil. pag. 252. Berthario ecclesiæ Verodunensis sub sec. ix finem et seq. initium presbytero, Sanctinum idcirco tantum, quod Romam, ut martyrii S. Dionysii Acta eo deferret, cum S. Antonino pergens indeque post rediens Veroduni primus Evangelium annuntiarit, primum ponit in episcoporum Verodunensium Catalogo credebant, secutus haud sit, sed vere S. Sanctinum, cum jam Meldensi ecclesiæ præesset. Romaque, quo iverat, esset reversus, fuisse a Verodunensibus in episcopum electum, cum anonymo sec. x supra laudato Actorum S. Sanctini auctore affirmarit, sicque hunc Sanctum nostrum pro stricti nominis Verodunensi episcopo et nihilominus cum S. Sanctino Meldensi unum eundemque a sese haberi, indicarit; anne autem hac in re, ut verosimiliter in plerisque de eodem Sancto nostro aliis, a veritate aberrarit, lectoris erit ex iis, quæ § seq. sumus dicturi, dispicere.

C

D

§ II. An S. Sanctinus Meldensis exstiterit S. Dionysii Parisiensis discipulus, et an cum S. Sanctino Verodunensi unus idemque sit.

Ecclésiæ Meldensis episcopum existisse, qui hodie in hoc quotannis solenni ritu colitur, Sanctinum, communis modo est opinio, potissimum in traditione, cujus ignoratur initium, fundata. In nullo quidem, quod spiriis Hincmari supra huc transcriptæ epistolæ inclusis S. Sanctini Actis sit antiquius, seu scripto seu monumento Sanctinum, nedum Meldensem ejus episcopatum, memorari invenio; verum, cum Sanctinus, ut supra docuimus, a longissimo jam tempore, imo vero jam inde a sec. ix honoratus fuerit ut Sanctus, id, quæso, nisi aliquando in rerum existisset natura, futurum fuisse, quis credat? Ea eo autem, quod monumentum, Hincmari seu sec. iv antiquius, in quo Meldensis Sanctini episcopatus asseratur, assignari haud queat, haud fuisse hunc ante id seculum creditum, consecrarium non est, nec is Sanctus noster, quem ut Meldensem episcopum, antiqua non tantum Meldensis, sed et Verodunensis ac Turonensis ecclesiarum Breviaria colendum proponunt episcopisque Meldensibus universi horum a Demochare aliisque ac nominatim a Gallix Christ. antiquæ et novæ auctoribus vulgari Catalogi accensent, temere ex hisce ob scriptorum monumentorumque seculo ix antiquiorum silentium est expungendus. Certe ego nec omnibus, quas veluti eo conducentes Launois in suo de Hilduini Areopagitici Judicio pag. 123 et seqq. allegat, rationibus expensis, facere id ausim. Verum primusne, an secundus Meldensium episcopus existit Sanctinus?

Sanctinus,
quem Melde-
sen

E

24 Hildegarius, Meldensis et ipse episcopus, qui, Carolo Calvo imperatore regnante, S. Faronis, Meldensis itidem episcopi, vitam contexit, in hac apud Mabillonium Act. SS. Bened. tom. 2, pag. 616 sic scribit: A Waldeberto... post Gundoldum nonus decimus ordo a sancto Dionysio primo antistitem in hac urbe (Meldensi) fulsit; hinc autem factum, ut nonnulli Hildegarii auctoritate impulsus, Dionysium Meldorum perinde ac Parisiorum primum fecerint episcopum. Ast ut Dionysius, quod ab Apostolica Sede Parisios missus toti circumquaque regioni Evangelium prædicarit, ab aliquibus hoc nomine civitatum Lutetiæ vicinarum, ita nominatim civitatis Meldensis ab Hildegario primum dictus fuerit episcopus. Sane cum non hanc, sed Parisiensem civitatem in sedem assumpsisset, a Sanctino, qui secus fecerit, ac ab ipsismet, qui Dionysium faciunt primum Meldensium episcopum, pro proximo hujus successore habetur, episcoporum Meldensium series est inchoanda. Ita, fere tom. 8, col. 1597 Gallix Christ. auctæ Scriptores, hisque non tantum, quem sibi proxime præeuntem habuere, tom. 1 Hist. Meldensis pag. 612 et seq. Duplessius, sed et plures alii ac nominatim

et quidem pri-
mum
F

A natim, qui in suis Episcoporum Meldensium Catalogis locum primum Sanctino concedunt, Sammarthani Fratres et Claudius Robertius suffragantur, nec video, quid his sat solidi, quo erroris hic convincantur, possit opponi. Sanctinus itaque non tantum Meldensibus episcopis accensendus, sed et primus hosce inter numerandos videtur. Verum quid modo de opinione, qua et Carnotensibus episcopi munere praefuisse a nonnullis putatur, censendum?

numquamque Carnotensem existisse episcopum,

25 Duplessius Hist. Meldensis tom. 1, pag. 614 verbis Gallicis, Latine a me redditis, sic scribit: Secundum quapiam, quae mihi ad manum sunt, monumenta Souchetus, Carnotensis canonicus, in Ms. sua civitatis Meldensis Historia probe constare, ait, S. Sanctinum existisse hujus episcopum; cumque sic loquatur, oportet, ut, quae ad id probandum habebat, argumenta crederet admodum valida. Sanctinus nihilominus nec in ecclesiae Carnotensis Breviario memoratur, nec Carnotensibus episcopis in horum Catalogis accensetur, omnisque, qui ei in diocesi Carnotensi exhibetur, cultus ad unicum sacellum, Deo sub nomine ejus in ecclesia cathedrali dedicatum, reducitur. Ita ille, et sane, uti, re mature discussa, compari, rectissime; verum, cum sic habeat, qui ergo factum, ut Souchetus, a Duplessio laudatus, argumenta, quae sibi ad Carnotensem S. Sanctini episcopatum monstrandum suppetebant, existimavit admodum valida? Spuria S. Sanctini Acta supra in Hinemari epistola num. 9 habent: Sanctinum (Dionysium) ordinavit episcopum, et Carnotum eos illuminare, qui in tenebris et in umbra mortis erant, inspirante Domino, misit; ubi eum per aliquod temporis immorari disposuit: postea vero Meldensium civitati pastorem et episcopum esse constituit.

hic adducta videntur,

26 Ita dicta Acta, nec ab hisce Acta, per Hugonem Flaviniacensem eo, quem num. 22 exposui, modo adornata, quantum ad substantiam hic dissonant. Hinc factum, ut Sanctinum primo Carnotensem ac dein Meldensem existisse episcopum, in Galliae Belgicae Antiquitatibus fol. 25 Wasseburgius, nonnullis adhuc aliis ei etiam assentientibus, scripserit. Hinc verosimilime pariter factum, ut Souchetus ex Actis illis valide admodum pro Carnotensi S. Sanctini episcopatu argui posse autumans, probe hunc constare, affirmavit; verum, Sanctinum a Dionysio ordinatum episcopum Carnotumque, ut eos, qui ibidem in tenebris et in umbra mortis sedebant, illuminaret, missum fuisse, Hinemari epistolae inclusa S. Sanctini Acta per proxiime huc transcripta verba, Hugone Flaviniacensi consona hisce subministrante, tantummodo tradunt, nihilque, quo id, civitate Carnotensi in sedem suam Sanctino assignata, factum innuatur, adjungunt; imo contra cum Sanctinum, Carnoti aliquamdiu moratum, postea fuisse Meldensem constitutum episcopum, mox etiam, nulla omnino Carnotensis, quam antea occupavit, sedis mentione facta, subnectant, ita haud fuisse eum, priusquam Meldensi ecclesiae praeficeretur, Carnotensem episcopum, insinuare videntur. Adhaec, etsi etiam, Carnotensem episcopum existisse Sanctinum, luculentissime dicta Acta tam quae Hinemari epistolae inclusa, quam quae ab Hugone Flaviniacensi contexta apud Labbeum exstant,

asserent, haud propterea tamen id foret credendum; illa enim Acta nullam omnino, ut jam docui, fidem merentur, facereque proinde auctoritate sua haud queunt, ut Sanctinum, qui nec in ecclesiae Carnotensi Breviariis nec in episcoporum Carnotensium Catalogis locum obtinet, existisse Carnotensem episcopum, arbitremur. Jam vero, cum sic habeat nec ulla argumenta alia, quibus Souchetus impulsus certum existimare Carnotensem Sanctini episcopatum potuerit, occurrant, est sane, cur episcoporum Carnotensium Catalogis, in quibus hic Sanctus noster nusquam comparet, hic stemus, utque adeo eum numquam existisse re vera Carnotensem episcopum, existimemus.

27 Porro uti nihilominus Carnotensem episcopum, ita etiam Dionysii discipulum nonnulli faciunt Sanctinum; verum nec hac in re illis assentiendum. Suffragantia quidem sibi hic iterum habent, tam quae Hinemari epistolae inclusa, quam quae ab Hugone Flaviniacensi contexta apud Labbeum exstant, S. Sanctini Acta; ast hisce, utut rem luculentissime tradentibus, nemo certe, qui quam sint e jam dictis auctoritate omni destituta, consideravit, fidem adjunxerit. Nec est, quod ecclesiae Meldensis traditionem alleges; hanc enim, qua, ut aiunt, Dionysii discipulus existisse Sanctinus fertur, genuinam esse pro certo quis asserat? Ut incertis hac in re vulgum moribus corruptam, credam, propendeo vel ex eo, quod, ut apparet, Sanctinus serius, quam ut Dionysii discipulus esse potuerit, existiterit in vivis, Dionysius enim, uti in Commentario, Actis ejus praemisso ad ix Octobris diem in Opere nostro jam docuimus, haud serius quam anno cclxxxvi martyrio fuit affectus; Sanctinus autem haud citius quam medio circiter sec. iv floruit, uti e jam nunc dicendis intelliges. Inter S. Sanctinum, primum e dictis Meldensium episcopum, et S. Faronem, Meldensium itidem episcopum octodecim dumtaxat, contraque inter Dionysium, primum Parisiensium episcopum, et Agilbertum, Parisiensium itidem episcopum, triginta intercessere, uti in vulgatis Parisiensium et Meldensium episcoporum Catalogis videre licet, episcopi medii; hoc autem discrimen, cum S. Faro et S. Agilbertus aequales existiterint seu eodem ambo sec. vii floruerint, ex eo verosimiliter provenit, quod series episcoporum, Parisiensium quidem a Dionysio, qui, ut dictum, haud serius quam anno cclxxxvi martyrium subiit, Meldensium vero ab episcopo, qui multo serius, imo non citius, quam uno circiter post Dionysium seculo elapso obierit, fuerit incepta. Quare, cum episcopus, a quo inchoata fuit episcoporum Meldensium series, existiterit e jam dictis haud alius, quam Sanctinus, consecrarium est, ut hic verosimiliter haud citius quam medio circiter sec. iv Meldensem sedem occupavit, nec diu admodum ante annum cclxxxvi excesserit e vivis, utque proinde haud fuerit Dionysii discipulus.

28 Res sane e jam dictis verosimilis apparet, verosimiliorque adhuc e modo hic subdendis evadet. Episcopum, nomine Sanctinum, sese etiam habuisse, Verodunenses contendunt. Et vero hunc, quem ut Sanctum Verodunensis ecclesia die xi Octobris veneratur, re etiam ipsa existisse Verodunensium episcopum, negari, ut apparet, non potest.

AUCTORE C. B.

pro Dionysii Parisiensis discipulo, sed, ut apparet, haud recte, obtrusis,

E

F

cum Sanctino, primo Verodunensi episcopo, unus idemque

Id

accors
C. B.

Id constans ecclesie illius fert traditio, in antiquo etiam cathedralis Verodunensis ecclesie Martyrologio ad xi Octobris diem his verbis expressa: Natale S. Sanctini, Virdunensis episcopi. Nec tantum Sanctinum episcopis Verodunensibus accensendum, sed et primum hosce inter tribuendum illi locum, fidem faciunt vulgati eorundem Catalogi, in quibus omnibus Sanctinus ante universos alios memoratur. Catalogis illis accedit instrumentum, Lipsanothece, in quam, ut post videbimus, anno 1044 Richardus, Verodunensis episcopus, S. Sanctini reliquias transposuit, inclusum, in quo Sanctinus diserte vocatur primus Virdunensis ecclesie episcopus. Adhuc inter scriptores, qui Sanctinum episcopis Virdunensibus annumerant, nullum omnino, qui primum hosce inter locum illi haud attribuat, invenio; ut sane opinio, qua Sanctinus non tantum inter Verodunenses episcopos, sed et horum primus censetur, videatur haud immerito amplectenda. Jam vero cum sic habeat ac is sanctus Verodunensis episcopus verosimiliter, uti infra sumus visuri, et circa sec. iv medium Verodunensem sedem occuparet et diu adhuc post vitam protraxerit, hinc enim opinio, qua, haud citius, quam medio circiter sec. iv Meldensi ecclesie praefuisse nec diu admodum ante annum cclxxxvi excessisse e vicis ac proin Dionysii discipulum haud fuisse Sanctinum Meldensem, statuimus, verosimilior evadit, cum Sanctinus Verodunensis unus idemque cum hoc verosimiliter sit, ut suadet, quae jam nunc subjungo.

uti cum ex hic
laudatis, qui
unum dumtaxat

29 Grevenus, qui una cum Canisio Usuardique Lubeco-Coloniensi editione, anno 1490 facta, ad xxii Maii diem S. Antonium iuxta ac S. Sanctinum, velut Meldenses episcopos, ut supra vidimus, annuntiat, Veroduni hodie solum S. Sanctinum ut civitatis hujus episcopum, iterumque deinde, sed episcopi dumtaxat absque sedis expressione titulum corrupteque, ut jam antea monui, Schynni nomen ei imponens, sequenti xii Octobris die Meldis consignat, idemque etiam, Canisio interim Sanctinum Veroduni hodie dumtaxat commemorante, C mox laudata Usuardi Lubeco-Coloniensis editio facit; ut sacrae istae tabulae, cum Sanctinum, quem loco uno Meldensem, alio Verodunensem episcopum faciunt, diversis et diebus et locis celebrent, duos, ut apparet, Sanctinos diversos, quorum alter Meldensis, alter Verodunensis exstiterit episcopus inducant. Verum an recte? Maurolycus et Galesinius in Fastis sacris, a se contextis, ac ipsimet, qui Martyrologium Romanum hodiernum reformarunt, eruditissimi viri unum dumtaxat in hoc Sanctinum, quem Meldensem episcopum faciunt, quemque idcirco verosimillime, quod die xxii Septembris obiisse a Petro de Natalibus in Catalogo lib. 8, cap. 108 dicatur, die illo sibi duxere memorandum, recensent; etsi autem supposititia, quae Hinemari ad Carolum Calerum epistola complectitur, supra huc transcripta S. Sanctini Acta acceptaque ex hisce, quibus Petrus loco mox cit. et S. Antoninus part. 1, tit. 6, cap. 28, § 1 Sanctinum exornant, elogia nec Veroduni, nec episcopatus, ibidem abs illo gesti, mentionem faciant, videntur tamen laudati martyrologi, qui ex illis seu Actis seu elogiis, quaecumque ad xxii Septembris diem de Sancti-

no, Meldensi episcopo, memorant, hausere, hunc cum Sanctino Verodunensi episcopo existimasse eundem.

30 Ita autumo, quod, quamvis sibi Grevenum supraque memoratam Lubeco-Coloniensem Usuardi editionem, in quibus hodie, ut jam docui, S. Sanctinus, veluti Verodunensis episcopus, annuntiat, praelucescentes habuerint, hodie tamen Sanctinum Verodunensem haud memorent, ita scilicet sibi faciendum verosimiliter rati, quod id, dum ad xxii Septembris diem Sanctinum Meldensem commemorarent, fuisse jam inde a sese factum, existimarent. Jam vero, cum sic habeat ac proin unum dumtaxat Sanctinum, qui ex infra dicendis primum Verodunensis ac dein Meldensis episcopus verosimiliter exstiterit, agnoscant, est sane, cur sacris tabulis supra laudatis, quae, ut dixi, duos Sanctinos invicem distinctos, quorum alter Meldensem, alter Verodunensem episcopus exstiterit, statuere videntur, adversari credantur. Nec minus, ut apparet, Molanus, qui in suis ad Usuardum Additionibus hodie Sanctinum paucis hisce memorat verbis, Vir-

Sanctinum statuere videntur

duni beati Sanctini, ejusdem loci episcopi et confessoris, cum isdem sacris tabulis pugnant. Uti enim laudati martyrologi, quod, quamvis sibi Grevenum Usuardique Lubeco-Coloniensem, in quibus, ut vidimus, ad xxii Maii diem Sanctinus, veluti Meldensis episcopus annuntiat, praelucescentes habuerit, haudquaquam tamen ad diem istam Sanctinum Meldensem memoret, fecisse videntur eundem, ita etiam Molanus, quod, quamvis sibi Grevenum Usuardique Lubeco-Coloniensem editionem, in quibus, ut vidimus, ad xxii Maii diem Sanctinus, veluti Meldensis episcopus annuntiat, praelucescentes habuerit, haudquaquam tamen ad diem istam Sanctinum Meldensem memoret, fecisse hunc eundem cum Sanctino Verodunensi, quem hodie celebrat, est censendus.

Fastis sacris,

31 Id verosimiliter, qui Molanus haud dubie ante oculos habuit, Ferrarius observavit. Certe Sanctinum, quem hodie Veroduni in generali suo Sanctorum, Martyrologio Romano non episcoporum, Catalogo memorat, in indice huic subjecto, Meldensem simul et Verodunensem episcopum exstitisse, dilucide insinuat, sicque hunc cum illo, non secus ac Molanus alique supra laudati hagiologi, quibus et hodiernum Usuardi apud Sollerium Bruxellesse Auctarium jungi potest, facit eundem. Nec dubito, quin pariter Parisiensis anno 1727 vulgati Martyrologii conditores, qui Sanctinum Meldis hodie annuntiant nec usquam eum Veroduni signant, Sanctinum Meldensem ac Verodunensem unum esse atque eundem, existimarint, idemque de Saussayo est dicendum; etsi enim hic in Martyrologio suo Gallicano ad xxii Septembris diem Sanctinum Meldis, veluti Meldensem ac dein hodie Veroduni, veluti Verodunensem episcopum, annuntiet, a sese tamen de uno eodemque Sanctino fieri sermonem, elogiis, quae utrobique adhibet, facit perspicuum. Jam vero, cum sic habeat nec ulli a jam memoratis, qui omnes, ut jam docui, unum dumtaxat Sanctinum agnoscunt, distincti seu martyrologi seu Fastis sacris, qui cum Greveno, Canisio Usuardique Lubeco-Coloniensi

A *Lubeco-Coloniensi editione Sanctinos duos constituant, inventantur, est sane, cur vel idcirco id ab hisce perperam fieri, arbitremur. Verum isthoc seu opinionem, quæ Sanctinum Meldensem cum Verodunensem eundem facit, aliter adhuc, cum opinio opposita, quæ alterum ab altero distinguit, probabilitate omni destituta etiam haud sit, juerit probasse.*

tum ex anti-
quis, a Berthario

32 *Bertharius presbyter supra laudatus, qui sub sec. x initium brevem episcoporum Verodunensium Historiam contexit, in hac apud Dacherium tom. 12 Spicil. pag. 251 et seq. sic scribit: Legimus in ista ecclesia (Verodunensi scilicet) jam præcessisse triginta episcopos. quorum primus sanctus Sanctinus vocatur, de quo quod sentimus, notare hic studuimus. Nam legimus, quod sanctus Dionysius Sanctinum Meldensem ecclesie episcopum et Antonium presbyterum mitteret cum Gestis passionis sue Romam ad sanctum Clementem et iter illorum fuisset per istam (Verodunensem nimirum) civitatem, et in eundo ac redeundo hic primi prædicassent verbum Dei. Et ferunt, quod idcirco in ordine episcoporum istius ecclesie primus ponatur. Itaque, de quibus hic loquitur Bertharius, S. Sanctinum, qui primus censetur Verodunensium episcopus, cum Sanctino Meldensi, Dionysii Parisiensis, ut putabant, discipulo, faciebant eundem. Tum quidem seu Bertharii ætate et ante fuisse etiam, qui Sanctinum, Verodunensium primum episcopum, Agrippinensis infra memorandi concilii tempore ac proin anno, quo id celebratum, 346 floruisse, arbitrarentur, judicare faciunt, quæ Bertharius verbis proxime recitatis subnectit, verum nihil omnino; quo, illos propterea primum Verodunensium episcopum a Sanctino Meldensi existimasse diversum, innuat, adjungit, fierique potest, ut de hoc nihil prorsus, ob quod a Sanctino Verodunensi distinguendus sit, crediderint.*

B *Ad hæc sec. duodecimo etiam fuerunt, qui, quemadmodum Laurentius Leodiensis, qui tum floruit, apud Dacherium tom. 12 Spicil., pag. 275 docet, duas opiniones oppositas, quarum altera, cum Sanctino Meldensi, quem Dionysii Parisiensis discipulum primoque ære christianæ seculo vixisse credebant, unum esse atque eundem Sanctinum Verodunensem, altera, hunc concilii Agrippinensis tempore ac proin medio circiter sec. iv floruisse, ferebat, in concordiam adducere volentes duos diversos hunc in finem Verodunenses episcopos, Sanctini nomine distinctos, quorum primus cum Sanctino Meldensi unus idemque esset ac sec. i vixisset, secundus Agrippinensis concilii tempore seu sec. iv circiter medio florisset, adstruebant. Quare cum id, utpote in nullis, quæ noscantur, documentis antiquis fundatum omnibusque etiam, in quibus unus dumtaxat Sanctinus comparet, episcoporum Verodunensium Catalogis contrarium, ex eo dumtaxat, quod Sanctinum Meldensem a Sanctino, primo Verodunensium episcopo, distinctum asserere non auderent, fecisse videantur, hinc enim vero, tum passim hunc cum illo creditum fuisse eundem, potest argui, cumque Bertharii ætate, ut mox docui, fuerint etiam, qui id ipsum sibi persuasum, haberent, consecrarium e modo dictis est, ut certe ante sec. xii quam maxime, quæ Sanctinum, Verodunensium pri-*

et Laurentio
Leodiansi me-
moratis, qui
Sanctinum
Verodunensem
cum Meldensi

C *um episcopum, cum Sanctino Meldensi unum eundemque facit, vigerit opinio. Hanc porro, unde et tum viguisse confirmatur, amplecti etiam sunt, qui sec. x et xi floruerunt, Hugo Flaviniacensis et actorum S. Sanctini, quorum compendium, ut num. 21 jam monui, Calmetus exhibet, scriptor anonymus, hosque verosimillime post, qui Verodunense jam supra laudatum anni 1625, itemque qui Meldense jam supra pariter laudatum anni 1640 Breviarium condidit, fuerint secuti.*

34 *Ut sit, certe tam hi, quam illi in Lectionibus, quas in ecclesiastico S. Sanctini officio proponunt, Sanctinum, Verodunensium primum episcopum, cum Sanctino Meldensi disertissime, non secus ac Hugo et laudatus anonymus, faciunt eundem; cum id autem aliaque huc spectantia sic, ut divi, habeant, nec quidquam dictam, qua Sanctinus, Verodunensium primus episcopus, cum Sanctino Meldensi unus idemque statuitur, opinionem certo esse a vero alienam, evincat, est sane, cur hanc, si non, ut certam, saltem ut probabilem ac verosimilem, tum Fastis sacris supra laudatis, qui unum dumtaxat statuunt Sanctinum, tum antiquioribus, a Berthario et Laurentio Leodiensi memoratis, qui dilucide Sanctinum Verodunensem cum Meldensi existimarunt eundem, innixi, amplectamur. At vero, inquiet modo fortassis non nemo, allegata nondum etiam sufficere videntur, ut Sanctinus, qui primus ecclesie Verodunensi præfuit, unus idemque cum Sanctino, qui ecclesiam Meldensem recit, verosimiliter existitisse credatur. Duæ enim istæ ecclesie longiori invicem spatio, quam ut ambas simul gubernasse commode queat, sunt remotæ. Nec satis apparet, qua veri specie alteram post alteram recessisse dici queat. Eo enim in casu dicendus foret vel a Verodunensi ad Meldensem, vel contra ab hac ad illam transiisse; velus autem Ecclesie disciplina episcoporum translationes sediumque mutationes in usu haud habuit, fuitque etiam, ne frequentarentur, synodi Nicænæ canone xv inhibita. Ita contra opinionem, qua Sanctinum Verodunensem cum Meldensi statuimus verosimiliter eundem, potest argui, verum sedium mutationes, cum eas vel necessitas vel magna utilitas postularret, licitas fuisse ac subinde etiam obtinuisse locum, exemplis non paucis, quæ Brevitatis causa omitto, potest probari.*

existimarunt
eundem, os-
tenditur, vero-
similiter est,

F *35 Quare, cum ratio quæpiam legitima, ut ut nobis ignota, ob quam Sanctinus, vel a Verodunensi ad Meldensem vel contra ab hac ad illam transiret, subesse potuerit, ut quid, quæso, quo minus id factum credamus, vel dictus synodi Nicænæ canon vel vetus Ecclesie disciplina impediatur? Dicesne forsitan, exempla quidem, e quibus in Orientali, at non itidem æque facile alia, et quibus pariter in Occidentali ecclesia sedium mutationes, ratione legitima hæc exigente, fuisse subinde primis Ecclesie seculis usitatas, constet, allegari posse? Verum quid si, Hunnis Alanisque (Operis nostri tom. 3 Maii in S. Servatio num. 13 videsis) post Gratiani mortem in Germaniæ Superioris Inferiorisque regiones excurrentibus Tungrosque et Remos ac alias vicinas urbes devastantibus, Veroduno abire S. Sanctinus compulsus circa annum 384 Meldas migrasse hacque occasione civitatem hanc, priori Verodunensi*

priusque, at
apparet, Verodunensem,

AUCTOR
C. B.

dunensi sede haud abdicata, episcopi munere moderandam accepisse ac haud ita multo post obuisse dicatur? Sane id, ut potest, ita et re ipsa factum esse, ea eo etiam propendeo ut credam, quod inde nihil nisi quod cum opinione, qua Veroduni primum ac dein Meldis episcopum egisse Sanctinum reor, quam optime congruat, oboriatur, hancque ob mox dicenda putem opinione opposita verosimilitudinem. Diserte quidem ecclesiae Meldensi primum ac dein Verodunensi praefuisse hic Sanctus noster in Officii ecclesiastici, quod hodie de eo Verodunense penes nos eastans anni 1625 Breviarium recitandum praescribit, Lectionibus asseritur; ast contrarium in hodiernis de eodem Sancto nostro, quas Meldense penes nos pariter eastans anni 1640 Breviarium complectitur, Lectionibus non minus diserte affirmatur; hisce autem potius, quam Breviarii Verodunensis Lectionibus standum videtur.

quam Mel-
sem ecclesiam
gubernavit.

36 Cur ea mihi sedeat sententia, expono. Duplessius Historiae Meldensis tom 1, pag. 4 verbis Gallicis, Latine a me hic redditis, de S. Sanctino sic scribit: Meldisne, an Veroduni vitam hanc mortalem cum immortalis commutari, trahi posse in controversiam, non credo. Possunt, ait quidam (Tillemontius videlicet tom. 4 Monumentor. Ecclesiasticorum pag. 721) criticus, sacra ejus ossa Veroduno Meldas fuisse allata. Verum, si ita haberet, ecclesia, in qua haec deponerentur, haud potius extra urbem, quam intra munerum ambitum videtur fuisse extruenda. Forum enim Meldense, ubi sita est haec ecclesia, diu non nisi vacuus extra urbis portas locus exstitit. Magis itaque cum veri specie congruit, ut Meldis mortuus ibidemque, sed pro consuetudine extra urbem, sepultus, ac ecclesia, quae ab eo nomen habet, non aliunde, quam a Sancti sepultura ac tumulo originem duxisse credatur. Cum itaque Sanctinus, ut rationibus, quas hic adducit, Duplessius merito contendit, verosimilius Meldis, quam alibi, obierit, hinc simul et ex eo, quod longe frequentius homines iis locis, quibus sedes fixere, quam aliis, ad quae casu divertere, e vita excedant, consecrarium fit, ut Sanctinus tunc, cum obiit, verosimilius Meldis, quam Veroduni, sedem fixam habuerit; cum autem sic habeat, idque verosimiliter haud alio ex capite, quam quod tunc, uti inde nemo non eruet, ad ecclesiam Meldensem a Verodunensi transiisset, oblinuerit locum, consecrarium ulterius fit, ut verosimiliter primo hanc ac postremo illam gubernarit. Contrarium quidem, ut jam dixi, Verodunense supra laudatum Breviarium tradit; ast, quidquid in hoc illa de re memoratur, id totum vel ex Hugone Flaviniacensi vel ex anonymo, qui sec. x S. Sanctini Acta, apud Calmetum loco supra cit. compendio expressa exaravit, scriptore est acceptum; hi autem, ut etiam sibi Wasseburgium in Galliae Belgicae Antiquitatis fol. 28 et seq. assentientem habeant, nullam omnino, ut num. 21 et seq. docui, fidem in iis, quae de Sanctis nostris memoriae produnt, nec aliunde solide, uti hic fit, confirmari queunt, merentur.

C

§ III. Quo tempore Sancti nostri floruerint: an eorum vel unus martyr, et an tam S. Antoninus, quam S. Sanctinus exstiterit episcopus.

In tempus, quo Sancti nostri floruerint, inquisituro opportune hic occurrit Agrippinense concilium, anno 346 in Euphrata, ejusdem urbis episcopi, causa celebratum. Ex hoc enim, quod apud plures conciliorum editores ac nominatim apud Labbeum tom. illorum 2 col. 615 et binis seqq. eastat, S. Sanctinum ac proin ea infra dicendis etiam S. Antoninum sec. iv circiter medio in vivis eastitisse, verosimile evadit, quemadmodum hic dabo probatum. Ast, cum in dubium dicti concilii veritas revocetur, nec, quod me probaturum, dico, probari ea hoc tuto, si factitium dumtaxat sit, queat, pro supposito conciliorum haud esse habendum, juverit ante omnia hic ostendisse. Etsi quidem vel in episcoporum, qui in concilio hic discutiendi Actis nominantur, vel in sedium, quas occuparunt, nomina, compendio forsitan in autographo exarata, librariorum, qui haec idcirco commode legere haud potuerint, imperitia irrepsisse errores, ultra etiam fateamur, nihil tamen nos cogit, ut vel dictum, in quo Euphratas, Agrippinensis episcopus, ob Christi divinitatem pertinaciter negatam exactoratus seu de sede sua dejectus narratur, concilium veluti verum haud admittamus, vel illius Acta tamquam spuria ac certo supposititia rejiciamus. Sunt quidem scriptores non pauci, eruditione etiam celebres, quorum alii Acta illa ut dubia et suspecta traducunt, alii ut certo etiam falsa ac supposititia repudiant; verum sunt etiam, nec numero nec eruditione illis inferiores, qui eadem Acta veluti sincera ac genuina tuerentur, nec satis perspicio, cur hac in re illis, quibus etiam novissime in Historia Argentoratensi, anno 1777 vulgari cepta, Grandidieri hujus auctor sese adjunxit, refragari indubitanter debeamus. Rationes quippe, quas opinionis contrariae patroni pro sese allegant, haud sat solidae, ut hanc veluti certam amplectamur, apparent.

38 Nec iis ipsis, quas, qui id anno 1759 fecit, Artzheimius in sua ad Germaniae concilia Praefatione, § xxvi allegat, moveri queo, ut Coloniensem, de qua hic nobis sermo, synodum seculi ix aut x figmentum esse, opiner. Praeterquam enim, quod non tantum in S. Servatii a Berthario presbytero supra laudato, qui sec. ix floruit, citata verosimiliterque proinde haud primum tunc scripta Vita, sed et in S. Maximini Trevirensis episcopi Actis, ab auctore anonymo, qui, quemadmodum in Commentario hisce praemisum num. 4 Henschenius, assensum ei etiam hac in re tom. xix Auctorum sacrorum pag. 59 praebente Ceillero, ad xxix Maii diem docet, sec. viii floruit, exaratis ac ibidem ab eodem Henschenio vulgatis, synodi seu concilii Agrippinensis mentio instituat, cui bono hujus Acta,

Sanctinum,
quem Agrippi-
nense anni 346
concilium,

E

F

n pote pro
suppositio,

A *cta, in quibus veluti ob hæresim exactoratus Euphratas Coloniensis episcopus exhibetur, tam longo post hujus ætatem tempore credamus conficta? Quis, quæso, id, quod non nisi in summam Euphratæ, ab omni alioquin posteritate pro probe Catholico habendi, ignominiam cedere poterat, a quopiam, qui quinque ut minimum seculis fuerit remotus, ac proin nullis in eum seu odii seu invidiæ stimulis actus, factum esse in animum inducat? Adhæc concilium illud anno, ut chronice, quas in capite præfert, notæ indicant, 346 die Maii XII ac proin die Dominica, in quam secundum tabulas Paschales anno illo XII Maii dies incidebat, celebratum pro more tunc usitato fuit, nec usquam in formam, per antiquos Ecclesiæ canones pro conciliorum celebratione præscriptam, peccare invenitur; cum autem sic habeat ac proin ejus Acta, in semetipsis considerata, omnibus omnino, qui in genuinis ac sinceris Conciliorum Actis requiruntur, veritatis characteribus sint munita, utquid ea B seu cujus sunt, concilium pro puro ac puro figmento habeamus?*

uti quæ hic
contra eos, qui
opinionem
contrariam

39 Certum est, inquit loco supra cit. Artzheimius, Photini hæresin non ante annum CCCXVI. et synodum Sardicensis innotuisse Ecclesiæ Orientali. Quomodo igitur Patres Ecclesiæ Occidentalis, tanto intervallo locorum et temporum disjuncti, anno uno citius eam Colonie rescire et damnare potuerunt? Quomodo Euphratas veluti huic errori insordescens et contumax ante annum CCCXVI. damnari? Verum, quod certum esse Artzheimius hic affirmat, minime certum esse, liquet ex iis, quæ Pagius in Criticis ad annum 347, num. 5 scribit. Fuit enim, ut ibidem ostendit, hæresis Photiniana in synodo Antiochena primum ac proin jam inde ab anno, quo celebrata hæc fuit, 345 damnata; cum autem sic habeat, utquid hæresis illa anno sequenti Occidentali Ecclesiæ innotescere ac a Patribus Concilii Agrippinensis, quod tunc, non autem, ut Artzheimius ait anno 345 celebratum, damnari Euphratas veluti errori isti insordescens haud potuerit? Adhæc, etsi etiam, Photini C hæresin Ecclesiæ Orientali ante annum 346, imo vero ante annum 347, cui synodus Sardicensis ab eruditissimis innectitur, haud innotuisse, tantisper dederimus, nihil tamen inde contra concilium Agrippinense ejus Actorum veritatem poterit inferri. In hisce enim nulla omnino Photini mentio occurrit, nec necesse est, ut abs hoc Euphratas errorem, ob quem in concilio Agrippinensi fuit damnatus, hausisse dicatur.

validissimè
etiam

40 Audi, qui hic opportune ad institutum nostrum Sirmondus apud Labbeum tom. 2 Conciliorum col 1805 in postumis suis in concilio Agrippinense Notis loquatur. Euphratam..., inquit, a Photino didicisse, nemo est, qui tradat, nemo, qui probare queat, tametsi consimilia docuerit. Potuit enim vel a Paulinianistis, quorum eadem fuit hæresis, doceri, vel ipsemet sine autore comminisci, sicut Leporium monachum eadem in Gallia dixisse, quæ Nestorius postea docuit, auctor est Facundus Hermianensis lib. I de tribus Capitulis ad Justinianum. Ita, ni vehementer fallar, argumentum, ab hæresi Photiniana, quæ ante an-

Octobris Tomus V.

num 346 Orientali ac proin Occidentali Ecclesiæ nota esse haud potuerit, contra Agrippinensem anni 346 synodum repetitum, penitus emerit ac elumbe ecadit; quod autem ad argumenta reliqua, quæ contra eandem synodum hujusve Acta ab Artzheimio vel a scriptoribus aliis adducuntur, jam spectat, a quovis, qui in hæc errores librorum seu imperitia seu oscitantia irrepsisse admiserit, queunt pleraque haud difficulter dissolvi, cumque adeo sigillatim omnia enotare operæ pretium non sit, unum dumtaxat adhuc, solutioni luculentæ haud æque ac alia patens, hic propono.

41 Id, quod omnium instar haberi potest quodque tantopere Baronium, ut synodum Agrippinensem vel falsam omnino fictitiamque, vel post Sardicensis tempora rejiciendam, judicavit, commovit, eo fere reducitur: Euphratas, Coloniensis episcopus, non solum Sardicensi, quod a nemine recocatur in dubium, concilio inter orthodoxos Patres, qui in eam illirici urbem convenientes Christi divinitatem et verbi consubstantialitatem adversus Arianos et Anomæos asseruere, anno 347 adfuit, verum etiam, uti Athanasius in sua ad solitariam vitam agentem epistola docet, a sancta synodo, ut una cum Vincentio, Capuano episcopo, Constantium imperatorem adiret Athanasiumque ac socios ejus in sedes, e quibus contra jus fasque fuerant depulsi, restitui, ab eo postulari, præ aliis episcopis, quorum non pauci fidei orthodoxæ confessione ac defensione erant conspicui, fuit detectus; cum autem, futurum fuisse, ut tum Euphratæ, si anno proxime prægresso a Concilio Agrippinensis Patribus, qui omnes fere Sardicensi intererant, veluti hæreticus damnatus ac de sede sua dejectus fuisset, tam honorifica legatio decerneretur, credibile haud sit, Agrippinense illud anni 346 concilium, in quo exactoratus fuerit Euphratas, pro suppositio est habendum. Tale est, quod validissime sane contra id pugnat, quodque hic adhuc proponendum duxi, argumentum; verum, etsi etiam foret ejusmodi, ut nulla plane ratione posset dilui, haud illico tamen propterea concilii ejusdem, contra quæ intorquetur, Acta veluti certo supposititia forent rejicienda.

hic propositio
argumento
propugnata,

F
in medium

42 Hæc enim, ut jam docui, nullam prorsus, si in semetipsis considerentur, includunt falsitatis notam, nec raro fit, ut, etsi quidem difficultates objectæ, quæ, ne res quæpiam gesta credatur, impediunt, via ac ne via quidem solvi posse videantur, mox tamen si omnia, quæ cum re illa conjunguntur anteaque ignorabantur, adjuncta innotuerint, evanescent. Quare id quoque quantum ad modo propositum, quo Synodum Agrippinensem impugnant, argumentum verosimiliter, si omnia, quæ ad hanc spectant modoque adhuc ignorantur, adjuncta innotescerent, locum esse sortiturum, existimari haud immerito potest. Ceterum, etsi etiam in obscuro adjuncta hujusmodi modo adhuc sint, rationes tamen, quibus qui pro synodo Agrippinensi stant, nodum illum solvere, nec irritò, ut apparet, labore, conantur, haud desunt. Ac primo quidem, quod id faciant, Euphratam, in concilio Agrippinensi damnatum, errores post evidentissimis animi sincere respicientis indicibus revocare itaque concilii Sardicensis Patres, ut, lapsus ejus memoria quo-

77 dammodo

AUCTORE
C. B.

dammodo oblitterata, honorificam ei, veluti qui singulari, quo apud Constantium imperatorem calebatur, favore, Athanasium aliosque episcopos catholicos sedibus suis restitui, facilius ac certius impetraturus esset, ad principem istum legationem decernerent, commovere potuisse, Petavius, Sirmondus atque ac novissime in sua supra laudata Dissertatione Grandidierus, episcoporum etiam, qui cum ad Ecclesiam ab hæresi, ob quam de sedibus suis fuerant dejecti, sincere essent reversi, restituti in hæc fuere, adductis in medium exemplis, respondent.

adducuntur,

43 Verum, cum favore et gratia apud Constantium plurimum caluisse erroresque suos retractasse Euphratam e monumentis antiquis haud constat, nec omnes, futurum fuisse, ut ei, utcumque etiam respicienti, legatio huiusmodi a concilio Sardicensi Patribus decerneretur, in animum facile inducturi sint, nescio, an cum Henschenio nostro ad XII Maii diem in S. Serratii, quam ibidem illustrat,

B Vita num. 2 dicere non præstet, Coloniae episcopum, a concilio, anno 346 in civitate isthac congregato, damnatum, a Coloniensi episcopo, qui, Euphratæ nomine distinctus, Sardicensi concilio interfuit, esse diversum, primumque, qui, Euphraxius, Euphrasiusve aut alio simili modo fuerit vocatus, cum posteriori, qui huic ob hæresim abdicato fuerit suffectus, ab imperito librario scioloce quopiam, qui episcopi hæretici nomen longe etiam a vero deformavit, ob nominum similitudinem fuisse confusum. Quod si id displiceat, in diversis episcoporum catalogis duo ejusdem nominis episcopi, quorum alter alteri in eandem ecclesiam proxime successit, reperuntur; cum autem sic habeat, quid si etiam tam episcopum in concilio Agrippinensi depositum, quam episcopum ei subrogatum, Euphratam seu Euphratem vocatum fuisse, perperamque secundum seu orthodoxum cum priori, qui hæreticus fuit, confundi, cum Pagio in Criticis ad annum 346, num. 6 dicamus? Reponi quidem potest, unum dumtaxat episcopum, qui Euphratas appellatur, in vulgatis episcoporum Coloniensium Catalogis recenseri, episcopoque, qui in concilio Agrippinensi, fuit damnatus, fuisse statim in hoc Severinum substitutum, in S. Serratii historia tradi; verum Catalogos illos in primis Coloniensium episcopis admodum esse imperfectos ac infidos, nemo non novit, hosque nihilominus Historiæ S. Serratii, in qua illud traditur, auctor anonymus, sec. IX certe haud multo antiquior, cæce est secutus.

suaident, vero-
similiter haud
habendum,

44 Hinc factum, ut unum dumtaxat existisset Coloniensem episcopum, nomine Euphratam, credens, hunc idcirco cum episcopo, qui, et ipse Euphratas vel alio haud multum absimili nomine appellatus, in concilio Agrippinensi fuit damnatus, fecerit eundem, statimque illi in hoc Severinum, qui in omnibus laudatis episcoporum Coloniensium Catalogis Euphratæ proxime subjungitur, vereque, non quidem anno, quo concilium Agrippinense celebratum, 346, sed, quemadmodum Henschenius in supra laudata, quam illustravit, S. Serratii Vita opinatur, decem circiter aut sedecim annis post Euphratæ orthodoxo successit, fuisse a concilio Patribus suffectum, litteris mandarit. Itaque tam quod Pagio, quam quod Henschenio de episcopo, a synodi Agrip-

pinensis Patribus damnato, visum est, vero D admodum simile simulque supra proposito, quo non aliud contra synodum Coloniensem validius militat, argumento elevando ac penitus enervando viam, reliquis omnibus faciliorem ac planiorem aperire, existimo. Hæc porro, quas varii eruditi assignant, Grandidierus in sua supra laudata Dissertatione recenset ac deinde rationibus aut certe plerisque, quibus synodi Coloniensis hinc veritas, inde falsitas verosimilis efficitur, lectori expositis, ita demum verbis Gallicis, Latine hic a me redditus, suam ea de re disputationem concludit: In hoc verisimilitudinum conflictu nonne pro synodi Agrippinensis Actorum, quæ in semetipsis considerata nihil, quo suspecta reddantur, exhibent ac præterea in totius antiquitatis suffragio majorique auctorum recentiorum numero, ut Petavius animadvertit, sunt fundata, veritate sententiam ferre oportet? Ita ille et sane, meo quidem iudicio, haud inepte; cum autem sic habeat ac proin Agrippinensis anni 346 synodus vere habuisse locum sit censenda, consecrarium est, ut, qui Sanctinus ab Articlavo seu Articlavorum in hac nominatur ac inter episcopos, qui concilio nomine suo inter futuros miserint, recensetur, sec. IX circiter medio floruerit.

45 Verum quid ibi Articlavorum vocabulum? In concilio isto non tantum prout apud Labbeum loco supra cit. exhibetur, verum etiam prout apud Chapeavillum ex Egidii Aureæ-Vallis monachi ad pontificum Tungrensium per Harigerum Gesta additamentis tom. I, cap. 24 vulgatum existat, Articlavorum exaratur, hincque potissimum, ni fallar, factum, ut non a Laticlavo, sed potius ab Articlavo, prout in Suriana ejusdem concilii editione habetur, legendum, Sirmondus in suis in id apud Labbeum supra cit. Concil. tom. 2 Adnotationibus existimavit. Verum quæ gens quæve natio per Articlavos, qui locus per Laticlavum seu Articlavum significatur? Verodunenses per Articlavos significari, Egidius Aureæ-Vallis monachus apud Chapeavillum sese existimare, loco mox cit. prodit; certo autem per Sanctinum ab Articlavo designari Verodunensium antistitem, Sirmondus in Adnotationibus mox cit. affirmat, quod scilicet, ut addit, et Sanctinus fuerit Verodunensis episcopus et Verodunum olim urbs Clavorum vocata. Ita ille, pro se, ut, quod postremo hic ait, probatum det, citans Bertharium presbyterum, qui apud Dacherium tom. 12 Spicil. pag. 252 de S. Sanctino, Verodunensi episcopo loquens, in Euphratæ episcopi, quæ in concilio Agrippinensi facta est, depositione partem habuisse Sanctinum, urbis Clavorum episcopum, in Vita S. Serratii, legi ait itaque non tantum, urbem Verodunensem vocatam olim fuisse urbem Clavorum, docet, verum etiam factum, ut hanc, quam ita in S. Serratii Vita appellari indicat, unam eandemque cum urbe, quæ vel Articlavorum vel Articlavum in dicti concilii Actis nuncupatur, existimare possimus.

46 Quod si itaque Egidio et Sirmondo, qui sibi Bertharium, sec. IX et seq., ut supra docui, scriptorem, imo et hoc, a quo laudatur, antiquiorem etiam S. Serratii Vitam suffragantem habet, assentiendum hic sit, existisse Verodunensem episcopum, qui et vocatus fuerit Sancti-

Sanctinumque,
Verodunensi-
um,

F

ut apparet,
episcopum,

A nus et circa sec. iv medium floruerit, e concilio Agrippinensi, cum id eam dictis pro fictitio, ut nonnulli volunt, habendum haud sit, potest concludi. Ast vero, nec urbem Clavorum, nec Articlavum seu Articlavorum urbem olim vocatum fuisse Verodunum, Valesius in Galliarum Notitia pag. 598 contendit; ea autem ipsi sedet sententia, quod, ut ait, a nullo scriptore antiquo Verodunum ita vocari invenitur. Verum, ait tom. iv Monument. Eccl. pag. 721 Tillemontius, a Valesio urbs alia, cui huiusmodi appellatio attribuitur ac Sanctinus episcopus praesens potuerit, haud invenitur; cum autem sic habeat, nec, etsi etiam fictitium dumtaxat esse Agrippinense concilium, tantisper daremus, verosimile ullo modo sit, factum esse, ut ii, qui concilii Acta confecerint, urbi in hisce, quae non existeret, Sanctinum, nisi ipsimet figmentum suum destruere voluissent contra omnem veri speciem dicantur, praefecerint, reliquum est, ut cum Egidio, Aureae Vallis monacho et Sirmondo admittatur, per urbem, quae vel Articlavorum vel Articlavum in Actis illis appellatur, designari urbem Verodunensem, quae, quamvis quidem neutro ex hisce nominibus, appellatione tamen, quae ad eorundem vel unum vel alterum quam proximam accedit, a Sigeberto etiam ad annum 1047, itemque apud Dacherium tom. 12 Spicil. pag. 276 a Laurentio Leodiensi, nulla etiam Concilii Agrippinensis ratione habita, distinguitur, ac porro distingui diu etiam ante sec. xi hocque ipso seculo consueverat, ut Hugo Flaviniacensis, qui tum floruit, apud Labbeum tom. 1 Bibliothecae Ms. pag. 79 testatur.

a primo horum episcopo homonymo non diceretur, commemorans,

47 At vero, inquires, sit ita, uti hic contenditur; in concilio Agrippinensi Actis Verodunum per Articlavorum urbem seu Articlavum significetur, nondum tamen inde consecrarium certo erit, ut Sanctinus, qui in Actis illis Sanctinus ab Articlavo seu urbis Articlavorum vocatur, indubie Verodunensis, non autem alterius civitatis, episcopus exstiterit. Cum enim ex ante dictis in episcoporum sediumque, quas hi occuparunt, nomina, in Actis illis expressa, errores irreperiant, fieri potest, ut haud recte forte sedes, quam Sanctinus occupavit, urbs Articlavorum seu Articlavum in iisdem Actis appelletur, utque proinde, cum ei forte civitas alia, cui episcopali munere episcopus, nomine Sanctinus, praefuerit, substituenda sit, haud immerito etiam in dubium, Verodunensisne, an civitatis alterius episcopus exstiterit, qui in dictis Actis Sanctinus Articlavorum seu ab Articlavo nuncupatur, revocari queat. Ita adhuc, ne Sanctinus, Verodunensis episcopus, qui in Agrippinensi concilio partem habuerit, admittatur, potest argui; verum urbi, quae Articlavorum seu Articlavum in concilio Agrippinensi Actis nominatur, urbem aliam, cui episcopus, nomine Sanctinus, praefuerit, haud substituendam, vel ex eo concludendum apparet, quod urbs alia, cui episcopus, nomine Sanctinus, concilii Agrippinensis tempore seu anno 346 praefuerit, haud invenitur, nec ullus unquam urbem Meldensem, quam Sanctinus etiam rexit, fuisse urbem Clavorum seu Articlavum vocatam, vel somniavit; cum autem sic habeat, Sanctinus, in concilio Agrippinensi memoratus, in cuius equidem

nomen errorem irrepsisse, nihil suadet, civitatis verosimiliter haud alterius, quam Verodunensis, exstiterit episcopus, cumque nec ex episcoporum Verodunensium Catalogis, nec ex ullis aliis fide dignis documentis episcopus Verodunensis, nomine Sanctinus, a Sanctino, quem ut Sanctum ac ut primum suum Episcopum Verodunenses venerantur, diversus, innotescat, consecrarium e modo dictis est, ut hic sit ille ipse Sanctinus, qui in Agrippinensi concilio veluti urbis Articlavorum seu Verodunensis episcopus memoratur.

48 Hinc porro et simul ex eo, quod concilium istud, verosimiliter, ut docui, pro supposititio haud habendum, fuerit e supra dictis anno 346 celebratum, consecrarium ulterius sit, ut is sanctus noster Verodunensis Episcopus verosimiliter tunc ac proit medio circiter sec. iv sedem Verodunensem occupavit; id autem sic habere, verosimilius adhuc efficitur vel ex eo, quod ejusdem concilii Acta, etiamsi forsan, contra ac supra docui, pro certo supposititiis forent habenda, sint equidem, utpote ab auctore, qui, quemadmodum num. 38 docui, sec. E VIII floruit, laudata, seculo ix antiquiora, quodque, cum impostor, a quo fuerint conficta, opinionem, qua S. Sanctinus Verodunensibus sec. iv circiter medio praefuisse episcopi munere creditur, fuerit seculus, debeat et haec sec. ix esse antiquior. Neque vero inde tantum, quod dixi, seu S. Sanctinum medio circiter sec. iv Verodunensi ecclesiae praefuisse, verosimilius evadit, verum etiam e S. Servatii Vita; haec enim apud Dacherium tom. 12 Spicil. pag. 252 a supra plus semel adhuc nominato, qui sec. ix ac x floruit, Berthario, ecclesiae Verodunensis presbytero, laudatur, cumque, uti hic ait, Sanctinum urbis Clavorum episcopum, ac proin e supra dictis Verodunensem, in Euphratae, Coloniensis episcopi, depositione, ab Agrippinensi anni 346 concilio facta, partem habuisse, memoriae prodat Vitae illius scriptor, fuerit et ipse opinionem, qua is Sanctus noster Verodunensis episcopus anno 346 seu sec. circiter quarto medio Veroduni sedisse putatur; haud dubie secutus; cum autem sic habeat, est sane ob omnia de hoc argumento jam dicta, cur et nos eandem, quam vel solum, ut docui, Agrippinense jam saepe memoratum concilium verosimilem efficit, amplectamur, ac proin, S. Sanctinum, Verodunensium primum episcopum, sec. iv circiter medio Verodunensi ecclesiae praefuisse, si non ut certum, ut verosimile saltem, admittamus.

AUCTOR C. B.

sec. iv circiter medio sedisse, verosimile reddit,

E

F

49 Tempore itaque, quo Sanctinus sedem Verodunensem occupavit, utcumque hunc in modum jam determinato, modo etiam, ad quod usque circiter tempus hic Sanctus noster post dictum Agrippinense anni 346 concilium vitam protraxerit et an hanc, ut memoriae etiam proditum invenitur, martyrio terminavit, examinemus. Inter Sanctinum, quem veluti primum suum episcopum Verodunenses venerantur, et Pulcronium seu Polychronium, quem circa annum 450 sedere incepisse constat, tres dumtaxat episcopi medii, Maurus videlicet, Salvinus et Arator in omnibus vulgatis probatoris notae episcoporum Verodunensium Catalogis numerantur; cum autem inter annum 450 et S. Sanctinum, si hic duobus dumtaxat adhuc tribusve post concilium illud annis

martyrio vitam, verosimiliter diu adhuc

ACTORES
C. B.

annis ecclesiae Verodunensi praefuisset, anni haud pauciores quam centum intercessissent, tresque tantummodo episcopos tanto temporis spatio Verodunensem sedem occupasse, verosimile haud sit, necesse apparet, ut Sanctinus pluribus certe, quam duobus tribusve, post idem concilium annis ecclesiae Verodunensi adhuc praefuisse statuatur. Verum ad quem quidem hi numerum ascenderint. seu ad quod circiter usque tempus Sanctinus adhuc post annum, quo praefatum concilium celebratum, 346 Verodunensem ecclesiam gubernarit? Nihil omnino, ut mihi equidem apparet, impedit, quo minus is Sanctus noster concilii hujus tempore juvenis adhuc exstitisse, sedem Verodunensem post adhuc usque ad annum circiter 375, imo forte (jam supra num. 35 dicta vides) usque ad annum 384 occupasse, paulo deinde post, cum ecclesiam Meldensem moderandam antea accepisset, obiisse credatur.

post annum
546 protra-
ctam, haud
terminasse,

50 Et vero id, ut potest, ita fere re etiam ipsa factum esse, verosimile mihi apparet primo quidem, quod anni dumtaxat fere septuaginta, qui ita a tempore, quo Veroduno Meldas Sanctinus migravit, usque ad annum 450, circa quem, ut dictum, Pulchronius sedere incepit, fuerint elapsi, inter Maurum, Salvium et Aratorem dividendi supersint, illique a tribus hisce Verodunensibus episcopis, si singuli paulo pluribus quam viginti annis, quod a veri specie neulquam abhorret, sedisse statuatur, impleri facile potuerint; deinde vero, quod, ut apparet, nihil etiam obstat, quo minus Meldis annis circiter 250, qui a mortis S. Sanctini tempore, secundum jam dicta computato, usque ad annum 626, quo cathedram Meldensem S. Faro occupare incepit, excurrerint, episcopi Meldenses octodecim, qui, quemadmodum supra jam docui, hunc inter et S. Sanctinum intercessere medii, sedisse credantur. Porro, ut ad aliud, quod hic etiam examinare mox proposui, quodque hac die examinatum iri, jam antea ad tertiam Octobris diem, ad quam a Ferrario, ut mox videbimus, Sanctinus et Antoninus, ut Martyres, Lutetiae Parisiorum annuntiantur, in Praetermissis promiseramus, modo veniam, Sanctinum sub Domitiano vel Nerva perperam locari martyriumque proinde, etiamsi id subiisse daretur, sub imperatorum illorum alterutro haud subiisse, ex his sane, quae de tempore, tam quo Sanctinus Veroduni sederit, quam quo inde Meldas migrans ibi obierit, jam diximus, nemo non eruet; verum anne vel martyrio vitam finit is Sanctus noster? Saussayus, qui eum, ut confessorem, tam ad xxii Septembris, quam ad xi Octobris diem in Gallicano suo Martyrologio annuntiarat, postea veluti quod in hoc scripserat correcturus eundem simul et Antoninum ut martyres ad tertiam Octobris diem in Operis illius Supplemento signavit.

etsi interim
martyris titu-
lo donatus in-
venatur, imo
et martyrium
subiisse

51 Verum, etsi quidem in elogio, quo ibidem ambos hosce Sanctos nostros exornat, fuisse eos Meldis Parisios, eodem die quidem recurrente, at diverso anno, abductos, ibidemque, praestanti certamine sigillatim confecto, martyrii palmam adeptos, affirmet, nec ullum hactenus, qui haec ante ipsum prodiderit memoriae, inveniam, primus tamen Martyris titulum Sanctino attribuisse a Duplessio Hist. Meldensis tom. 1, pag. 620 perperam asseritur; id enim ante illum jam praestiterat

Ferrarius, qui, quamvis Sanctinum hodie D paucis hisce verbis Viroduni S. Sanctini episcopi absque Martyris titulo annuntiet, eundem tamen, quod sane mirum videri potest, veluti martyrem ad tertiam Octobris diem hunc in modum signat: Lutetiae Parisiorum SS. Martyrum Sanctini et Antonini sub Domitiano. Nec ea in re Ferrarius tantum, sed et qui Verodunense, quod penes nos exstat quodque anno 1625 notatur excusum, Breviarium condidere, Saussayum praecessisse sunt censendi. Etsi enim hi, non Martyris, sed Confessoris tantummodo titulum Sanctino adscribant, in Lectionibus tamen, quas hodie de isto Sancto nostro recitandas proponunt, martyrio eum vitam finisse, diserte affirmant. Verum, etsi sic habeat, non est tamen etiam, cur vel ipsi primi pro Martyre obtrusisse Sanctinum existimentur. Martyrio enim coronatum fuisse hunc Sanctum nostrum, Acta ejus, compendio a Calmeto loco supra cit. exhibita ac, ut hic scriptor ait, sec. x conscripta, luculentissime etiam tradunt. Imo vero cum ex Actis hisce pleraque, ut apparet, alia, quae in dictis Breviarii Verodunensis Lectionibus narrantur, sint depronpta, ex iisdem quoque, qui hasce concinnarunt, Sanctini, quod referunt, martyrium hausisse, opinor.

52 Ast, Actisne illis, Sanctinum facientibus martyrem, assentiendum? Cum nec Eutharius supra laudatus, qui sec. ix natus est, nec quis scriptor alius, qui vel eo ipso, quo dicta Acta fuere contexta, sec. x vel citius floruerit, quidquam usquam, e quo martyrio vitam terminasse Sanctinum, colligas, suppeditet, imo vero, cum ipsamet fictitia, quae supra transcripta Hincmari epistola includit, S. Sanctini Acta, martyrio hunc e civis non fuisse sublatum, dilucide prodant, unde, quæso, scriptor anonymus, qui Acta a Calmeto compendio exhibita, contextuit, didicit contrarium? Id ego edicendo haud sum; verum, cum pleraque, quae narrat, commentitia, ut apparet, sint, ac, ut jam monui, tum dumtaxat, dum quid, quod aliunde probe confirmari potest, memoriae prodit, fidem sibi adjungat, enimvero, cum aliunde probari nulla plane ratione queat S. Sanctini martyrium, non est, cur ipsi, id asserenti, assentiamur. Hugo Flaviniacensis, qui, quemadmodum num. 22 indicavi, laudata, quæ auctor iste anonymus scripsit, S. Sanctini Acta sibi prælucentia habuit, ea etiam, quae in hisce de ejusdem S. Sanctini martyrio legerat, recenset, et tamen haudquaquam id, etsi interim, quæ in iisdem Actis narrantur, pleraque alia, ut ab omni etiam veri specie abhorrentia, admittat, credendum existimavit. Audi, qui apud Labbeum tom. 1 Bibliothecæ Mss. pag. 82 opportune ad institutum nostrum loquatur.

in Actis, a
Calmeto in
compendium
contractis, di-
catur,

53 Legitur sane, inquit, in antiquioribus ejus (S. Sanctini nimirum) gestis, quod, cum Meldis rediisset, tyrannum increpaverit, quod res Ecclesiae diripisset, et ob id illum ira præcipiti fervidum, gladio adactum beatum Virum vite transmisisset perpetuae. Apparet etiam nunc in ipso Viri beatissimi capite, sicut relatum est ab his, qui viderunt, et ossa ejus sanctissima contrectaverunt, sectio gladii materialis, ita ut media pars capitis, ipsa videlicet pars anterior, in qua posite sunt fenestrae oculorum, non habeatur cum reliquo corpore, et quasi

ostendunt

A quasi gladio secta et divisa videatur pars posterior ab anteriore. Qualiter ergo servum suum Dominus ad se evocaverit, ipse novit, qui eum prælegit ante sæcularia tempora; nos credimus, quia, etsi ejus animam gladius persecutionis non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit, quia totius vitæ ejus excursus jugis fuit cum principe mundi conflictus. Ita ille, nec est, cur hic ab Hugone ob ea, quæ verbis hisce ipsemet Hugo scribit, dissentiendum quis arbitretur. Cum enim fieri queat, ut mortuorum capita vi sibi vel casu vel etiam studiose illata scindantur bifariam, ex eo sane, quod capitibus S. Sanctini pars posterior quasi gladio ab anteriore videatur divisa, fuisse hunc Sanctum nostrum gladio, quo caput ejus sectum fuerit bifariam, e vivis sublatum, inferri non potest.

hic adducta,

54 Et vero, cum Sanctinus, non sub imperatoribus, christianos dirissime persecutis, sed, quemadmodum e jam supra dictis nemo non colliget, pace Ecclesiæ jam dudum redita, floruerit, gladio eum pro fide occubuisse, verosimile haud apparet. Fuisse quidem, non quod Christi fidem abnegare notuisset, sed quod tyrannum, qui Ecclesiæ bona exspoliavit, increpuit, Sanctinum occisum, supra laudata ejus, uti Hugo, qui hæc sibi præluentia habuit, verbis jam nunc recitatis prodit, Acta antiquiora tradunt; verum quis ille in hisce memoratus, qui etiam, fide Christi late propagata, ecclesiæ bona diripere episcopumque ob hæc defensa occidere ausus sit, tyrannus? Hunc ego, non secus ac alia fere omnia, quæ in Actis illis leguntur, e sola fingendi licentia natum, vehementissime suspicor. Universæ propemodum, quibus Sanctinus exstat inscriptus, Tabulæ sacræ eum vel Confessoris titulo tantummodo distinguunt, vel certe Martyrem haud appellent. Tabulis sacris accedit Meldensis ecclesia, quæ, quemadmodum penes nos exstant ejus Brevariium fidem facit, Sanctinum hodie, non ut Martyrem, sed ut Confessorem colit. Nec, ut apparet, Meldensi ecclesiæ hic penitus adversatur Verodunensis. Etsi enim, ut jam antea docui, Sanctinus in Officio, quo hodie ab hac honoratur, martyrium subisse dicatur, Confessor tamen, tam in titulo, quem id præfert, quam in oratione, quam proponit, nuncupatur idemque tam in orationibus tribus diversis, quas hodie in S. Sanctini Missa Verodunense penes nos exstant anni 1554 Missale suppeditat, quam in Calendario, huic præfixo, etiam fit. Ut sit, cum eundem Sanctini, qui præterea in pace defunctus in Verodunensi num. 65 hic danda sec. xi inscriptione asseritur, martyrium in probatæ fidei Actis fundatum e jam dictis haud sit, opinione, quæ eum Confessorem facit, cum Duplexio aliisque passim eruditis omnino ob jam dicta standum opinor, sicque, quod hic de Sanctino monstrandum ultimo erat, monstrasse contentus, sermonem modo ad S. Antoninum convertit.

idemque he S. Antonino, qui et ipse forsitan existitit episcopus,

55 Hic Sanctus noster in episcopatum Meldensem S. Sanctino proxime successisse in hujus supra huc transcriptis, quæ Hincmari epistola includit, Actis asseritur, idque ipsum in aliis, quæ, ut num. 22 docui, Hugo Flaviniacensis contulerit, S. Sanctini Actis itemque in Creveni et Canisii num. 1 laudatis, quibus et Usuardi Lubeco-Coloniensis editio consonat,

Martyrologiis dilucide etiam traditur. Ad hæc in omnibus vulgatis episcoporum Meldensium Catalogis proximum a S. Sanctino locum occupat Antoninus, scriptoresque propemodum omnes, qui Sanctinum faciunt Meldensem episcopum, proxime ei in hanc sedem sufficiunt Antoninum. Nec desunt hisce etiam addenda monumenta, quæ, quamvis quidem Antoninum nec proximum Sanctini in sedem Meldensem successorem, nec Meldensem episcopum faciunt, eum tamen Episcopi titulo distinguunt. Verum, etsi sic habeat ac porro Antoninus etiam ut episcopus in Meldensi anni 1640 Brevariario colatur, imo et in Calendario seu Directorio, huic præfixo, Meldensis Episcopus vocetur, in antiquis tamen ecclesiæ Meldensis Brevariis, uti apud Duplexium Hist. Meldensis tom. 1, pag. 622 notatum incendio, episcopis Meldensibus haud accensetur. Ad hæc nullum omnino, quo Antonino vel episcopatus asseratur, æqualis seu paris cum supra laudatis S. Servatii Vita conciliique Agrippinensis Actis, quæ juxta ac alia supra adducta pro S. Sanctini episcopatu stant, antiquitatis monumentum invenitur. Hinc supra, cum mihi haud tam tute S. Antonini, quam S. Sanctini episcopatus asseri posse videatur, in Commentarii hujus capite Episcopi titulum, non nisi particula forte, quæ dubitantium esse solet, adhibita, Antonino attribui.

56 Ad hæc, cum verosimiliter S. Sanctinus aliquamdiu etiam, ut supra docui, ultra sec. iv medium vitam protraxerit ac porro S. Antoninus, etiamsi Sanctino superstes vixisse passim credatur, eodem tamen, ut puto, quo hic, sec. iv magna sui parte jam elapso excesserit e vivis hinc supra, utrumque Sanctum nostrum verosimiliter sec. iv provento obiisse, in margine indicavi. Ceterum id, uti e jam dictis haud Sanctino, ita nec Antonino per martyrium obvenisse est dicendum. Etsi enim hic Sanctus noster a Ferrario in generali Catalogo itemque a Saussayo in Martyrologii Gallicani Supplemento Martyris titulo ad tertiam Octobris diem donetur, in aliis tamen omnibus, quibus inscriptus exstat, Fastis sacris Confessor tantummodo nuncupatur, nec sibi Ferrarius et Saussayus, cum prior quidem in dicto Catalogo ad xii Septembris, posterior vero in ipsomet suo Gallicano Martyrologio ad xi Octobris diem confessorum dumtaxat faciat Antoninum, satis constant. Porro Fastis sacris, qui, ut dixi, Antoninum Confessoris tantummodo titulo insigniunt, jungi possunt ipsomet fictitia, quæ supra huc transcripta Hincmari epistola complectitur, S. Sanctini Acta, quæ juxta ac alia jam sæpius laudata, quæ Hugo Flaviniacensis composuit, S. Antoninum non martyrio, sed in pace vitam terminasse, dilucide tradunt. Nec ut Martyr, sed ut Confessor in Meldensi, quod mihi ad manum est, anni 1640 Brevariario S. Antoninus colitur; ut sane non sit, cur hic Sanctus noster, quem martyrii palmam adeptum, nec ipsa, utut e dictis martyrem scientia Sanctinum, commentitia hujus, quæ Calmetus compendio exhibet, Acta tradunt, terminasse martyrio vitam credatur. Hinc simul et ob ea, quæ num. 54 dixi, in Comment. capite Confessoris titulum tam S. Antonino, quam S. Sanctino, nulla omnino, quæ animum de re dubium prodat, loquendi formula adhibita, adscripsi.

AUCTOR
C B.

ac eodem, quo Sanctinus, sec. iv provento obiit, est dicendum.

F

AUCTOR
C. B.

§ IV. S. Sanctini corpus Verodunum Meldis portatur ibique deinde, communicata interim cum Meldensibus ejus parte, iterum ac tertio in hierothecas novas transfertur.

S. Sanctini
corpus, quod
Meldis diu

Duplessius *Hist. Meld.* tom. 1, pag. 4 et seq. *ecclesia, quæ modo Meldis S. Sanctini nuncupatur, nonnulla, num. 36 lectoris oculis hic jam subjecta, præfatus ita deinde verbis Gallicis, Latine a me redditis, prosequitur: Pre-tiosas corporis ejus exuvias venerando hoc in loco diu asservaverunt fideles. Seculo xi Mercatores quidam Verodunenses Meldensium huic honori invidentes, famem, quæ totam regionem affligebat, sibi verterunt in commodum, iisque, qui thesaurum custodiebant, donata quapiam argenti summa, sibi ut sacras illas reliquias auferre liceret, impetrarunt, easque Veroduni in S. Vitoni abbacia, ubi hodieque servantur, deposuerunt. Ita ille, S. Sanctini corpus tum adhuc Meldis, dum inde Verodunum, quod verosimilius anno 1044 ex infra dicendis factum, deportaretur, in ecclesia, nostri istius Sancti nomine insignita, fuisse assertatum, non obscure indicans; ast anne hac in re a vero haud aberret, dubitari posse videtur. Decanus enim et capituli Meldensis canonici, qui, quemadmodum ex horum litteris, num. 17 huc transcriptis, liquet, S. Sanctini corpus quiescere adhuc penes sese, anno 1259 putabant, non collegiatæ S. Sanctini, sed cathedralis Meldensis ecclesiæ existitisse videntur.*

fuerat servatum,

58 Adhæc S. Sanctini corpus, quadraginta amplius post obitum ejus annis elapsis, in cathedrali Meldensi ecclesia depositum, ibidem usque ad tempus, quo Verodunum fuit translatum, quiescisse, Wasseburgius in suis *Galliæ-Belgiæ Antiquit.* fol. 29 verso affirmat eique suffragatur Hugo Flaviniacensis, qui S. Sanctinum Meldis fuisse Verodunum a Verodunensibus delatum, apud Labbeum tom. 1 *Bibliothecæ Mss.* pag. 123 scribens, Sanctinum tunc Meldis in majori seu cathedrali ecclesia positum fuisse, diserte tradit. Hinc etiam, ni fallar, est factum, ut Tillemontius, *Meldisne in cathedrali, an in S. Sanctini ecclesia sacrum hujus corpus quiescere, Meldenses sec. ix putarint, tom. iv Monumentorum ecclesiast.* pag. 721 dubitarit. Verum, sive in harum ecclesiarum una, sive in altera sacrum illud pignus tum ac post, dum Meldis transferretur, fuerit servatum, inde equidem id vere, uti ex infra dicendis patescet, Verodunum fuit delatum. Qui res gesta sit, sacerdos, qui in hac magnam partem habuit, Verodunensi S. Vitoni monacho, qui post Meldas venerat, narravit. Ita Calmetus, ipsismet etiam transcriptis sacerdotis illius verbis, e Verodunensis S. Vitoni abbatiæ *Mss.* in sua de primis ecclesiæ Verodunensis episcopis *Dissertatione* col. 64 et seq. nos docet.

59 Audi, qui verbis Gallicis, Latine a me red-

ditis, ibidem loquatur: S. Vitoni, inquit, religiosus, nomine Richardus, quorundam negotiorum causa Carnotum ab abbate suo missus, Meldis transivit, ibique in suburbio ex adverso vetustæ ecclesiæ est hospitatus Sacerdos ætatis admodum profectæ attulit ei, qua reficiendo corpori servient, cumque, Verodunensem esse, intellexisset, ab illo, sanctumne Sanctinum, episcopum Meldensem, et locum, quo sepultus esset, cognosceret, est sciscitatus. Religiosus Sanctum illum, cum existisset etiam Verodunensis episcopus summaque in veneratione corpus ejus in S. Vitoni abbacia foret, sese novisse, respondit. Sacerdos subjecit: " Si mihi silentium sponderis, dicam tibi, " qui sacrum illud pignus ad monasterium vestrum fuerit delatum: " Richardo, quod petebat, pollicito, prosecutus est sacerdos eique dixit: " Fame valida in hac regione exorta, " plures tam clerici, quam laici alio abscedere " fuerunt compulsi. Id hisce episcopus ea lege " permisit, ut quatuor in ecclesia Meldensi presbyteri, qui ibi officium obirent reliquiasque " ac thesaurum custodirent, relinquerentur; " unus e quatuor, qui ibidem remanserunt, " ego existi. Eo temporis intervallo mercatores quidam Verodunenses, ex Hispania revertentes, Meldas venerunt meque ad canam " invitarunt. Inter confabulandum eis declaravi, sub custodia mea positum esse S. Sanctini " corpus. Tam obnixè, ut id eis darem, me rogaverunt, ut tandem, quod petebat, me facturum sim pollicitus. Argenti summam haud " modicam largiti mihi sunt; hanc cum tribus " aliis sacerdotibus, reliquiarum custodibus, sum " partitus. Una lipsantheam aperuimus; sacra " eis ossa commisimus, hæcque festinatione " quam maxima Verodunum asportavere. "

60 *Hanc reliquiarum S. Sanctini translationem, quam vere factam, ex infra dicendis patescet, Hugo Flaviniacensis, anno 866 innectit; ast perperam id abs illo fieri, modo hic juverit, priusquam ad alia pergam, ostendisse Bertharius, jam supra plus semel laudatus, brevis Episcoporum Verodunensium Historiæ auctor, hanc haud ante annum, ut Tillemontius tom. iv Monumentorum ecclesiasticorum pag. 722 probat, 915 ac proin haud prius, quam cum quinquaginta circiter anni a tempore, cui dictam S. Sanctini Verodunum Meldis translationem Hugo Flaviniacensis il ligat, essent elapsi, conscripsit, et tamen, dum id fecit, sese, nisi Meldis foret S. Sanctini corpus, quoniam loco id existeret, compertum haud habuisse, in Historia illa apud Dacherium tom. 12 Spicil. pag. 252 luculentissime producit; cum autem is episcoporum Verodunensium historiographus Veroduni versaretur, ibidem esset ecclesiæ cathedralis canonicus ac in mandatis, ut quidquid de Verodunensibus episcopis vel legisset vel aliunde intellexisset, litteris consignaret, accepisset, quis, quæso, si quinquaginta dumtaxat circiter ante annis S. Sanctini corpus Verodunum Meldis fuisset allatum, ignoraturum id eum fuisse, in animum inducat? Haud dubie itaque in tempore, quo S. Sanctini corpus Verodunum Meldis fuit delatum, determinando a veritate Hugo aberravit. Ast quandonam igitur id factum dicamus? Res certe ante annum 915, uti e jam dictis nemo non colliget, haud acciderit, cumque tunc, cum fames valida in regione esset exorta*

quodque ea, quæ hic exponitur, ratione a mercatoribus Verodunensibus

obtentum, inde ab his, non anno 886, nec anno,

A *exorta, gestam esse, fidem faciant num. præced. e Calmeto huc transcripta sacerdotis Meldensis verba, oportet, ut, fame quæpiam, quæ post annum 915 fuerit exorta, Gallias affligente, S. Sanctini corpus Verodunum Meldis statuatur delatum.*

ut Wasseburgius primum putavit,

61 Wasseburgius in suis Gallie Belgicæ Antiquitatibus fol. 29 verso verbis Gallicis, quæ Latina facio, sic scribit: Corporis S. Sanctini reliquiæ, honorifice et reverenter in cathedrali Meldensi ecclesia depositæ, ... ibidem manserunt usque ad tempus Roberti, Francorum regis, Hugonis Capeti filii, quo regnante, fames adeo valida Franciam afflixit ut eas quatuor presbyteri, dictæ ecclesiæ custodes, vendiderint Verodunensibus quibusdam mercatoribus, qui eadem Verodunum ad S. Vitoni ecclesiam, ubi honorifice grandi lipsanthece feretroque argenteo inclusæ hodieque servantur, anno circiter 1032, cum S. Richardus dictæ S. Vitoni abbatiæ abbas, Rambertusque Verodunensis episcopus esset, detulere. *Robertus, Francorum rex, de quo hic*

B *Wasseburgius, anno 1031; uti ad hunc annum Pagius in Criticis ostendit, e civis excessit, famesque hic memorata non nisi post ejus obitum videtur exorta. Diversa enim, ut opinor, haud exstiterit a fame, quam, narrata primum dicti regis morte, exortam esse, Glaber Rodolphus apud Chesnium Historiæ Francicæ Scriptorum tom. 4, pag. 43 memoriæ prodiit. Verba, quibus id facit graphiceque horrendam, de qua loquitur, famem describit, partim huc, quod infra usui adhuc sint futura, huc transcribo. Sic habent: Sequenti.... tempore cæpit in universo orbe terrarum fames convallescere ac interitus pene universi humani generis imminere. Nam temperies aeris sic intempestiva est effecta, ut nullius sationis proveniret tempus congruum nec mesioni præcipue ob inundantiam aquarum foret opportunum. Videbantur enim inter se ipsa elementa pugnam discordiæ agere... Assiduis enim imbribus ita compluta erat universa tellus, ut in spatio trium annorum nulli reperirentur sulci utiles seminibus.*

1052, sed anno, ut postea, mutata sententia,

C *62 Ita ille, de eodem mox argumento plura alia ad institutum nostrum haud facientia hucque proinde haud transcribenda adjungens. Verum an fame, quæ ab eo memoratur, quæque, quamvis Roberti regis obitu sit posterior, jam inde tamen ab anno 1032 initium accepisse potest, durante, S. Sanctini corpus Meldis Verodunum circa annum 1032, ut Wasseburgius verbis supra huc transcriptis ait, fuit delatum? Duplessius Hist. Meldensis tom. 1, pag. 621 sic scribit: Quod ad eventus illius (translationis corporis S. Sanctini Verodunum) annum determinatum spectat, posset hic cum eodem auctore (Wasseburgio scilicet) anno 1032 aut, si velis, emortuali Regis Roberti anno affigi. Eodem enim anno famem adeo validam Franciæ incubuisse, ut parum abfuerit, quin alter alterum manducaret, Glaber Rodolphus (Verba ejus mox recitata videsis) nos docet. Hæc laudatus Duplessius; verum cum Glaber non nisi post narratam regis Roberti mortem suppedilet, quæ num. proxime prægresso ex eo recitavi, verba, hisce certe, ut consideranti patescet, eo ipso, quo rex Robertus obiit, anno in Francia obtinuisse, de qua loquitur,*

D *famem, haud docet. Adhæc, etsi etiam, famem illam anno 1032 in Francia esse exortam, fuisseque, eadem durante, S. Sanctini corpus Meldis Verodunum translatum, tantisper dedimus, inde tamen, cum fames ista triennio, ut Glaber verbis num. 61 recitatis tradit, obtinuerit, translationem illam determinato anno 1032 innectendam, inferri haud poterit. Wasseburgius, qui ad hunc circiter annum per verba num. 61 recitata eventum istum retulerat, postea eundem, mutata sententia, in annum 1044 per verba, quæ in suis Gallie Belgicæ Antiquitatibus de Richardo I, Verodunensium ab anno 1039 usque ad annum 1046 episcopo, tractans fol. 234 verso exhibet, rejecit.*

idem Wasseburgius statuit,
E *63 Juxta et ista, e lingua Gallica in Latinam versa, lectoris oculis hic subjecisse. Sequentia hæc sunt: Invenio etiam, ipsum existisse primum, qui feretro seu lipsanthece includi jussit S. Sanctini corpus, quod Meldis Verodunum Ramberti decessoris sui tempore fuerat delatum, uti continetur in quibusdam abbatiæ S. Vitoni actis, quæ tamen hic a vero aberrasse videntur. Nam si attente expendamus veros historicos, ut supplementum Eusebii et Sigebertum, memoratum sacrum corpus Meldis Verodunum dicti Richardi tempore et quidem ipso anno millesimo quadagesimo quarto delatum fuisse, cum iis dicemus, non autem tempore, in Actis illis contento et expresso, qui est annus millesimus trigesimus secundus; quod credibile non est. Nam quemadmodum, illud a Verodunensibus, per quos a Meldensibus emptum fuerat, notæ haud infimæ mercatoribus, durante magna, quæ vere Galliam et Germaniam dicto anno millesimo quadagesimo quarto afflixit, fame, Verodunum fuisse delatum, veritati est consonum, ita etiam, dictum Richardum primo istud capsæ includi feretroque imponi fecisse, est certum. In Eusebii supplemento et Sigeberto, quod in hisce tradi, Wasseburgius hic ait, ego nusquam invenio; ast hic scriptor, in Eusebii Supplemento et a Sigeberto, qui ad annum 1044 in Chronico habet, fames valida Galliam et Germaniam profligat, memoriæ prodi, famem validam in Gallia et Germania anno 1044 obtinuisse, hincque consecrarium esse, ut tunc Verodunum S. Sanctini corpus, quod eo, fame in Galliis exorta, delatum fuisse, aliunde noscebat, transferri contigerit, forte dumtaxat vult.*

verosimiliusque ex hic adductis
F *64 Ut sit, sacrum illud pignus non circa annum 1032 seu tunc, cum fames a Glabro memorata, sed anno 1044 seu tunc cum fames, cujus verbis mox datis Sigebertus meminuit, in Francia esset exorta, Verodunum fuisse delatum, verosimilius mihi apparet, primo quidem quod fames, a Glabro memorata, non solam Franciam et Germaniam, sed totum terrarum orbem (scriptoris hujus verba supra huc transcripta videsis) affligerit, famesque, cujus occasione fuisse S. Sanctini corpus venditum Verodunumque translatum, Meldensis procectæ ætatis sacerdos, loco supra cit. a Calmeto allegatus, retulit, non per totum (neque enim hoc in casu famis declinandæ causa plures Meldis alio, uti tum factum is asseruit, secessuri fuisse videntur) terrarum orbem, sed tantum, ut apparet, per Galliam vicinamque huic Germaniam sævierit; deinde vero, quod S. Sanctini*

AUCTOR
C. B.

ctini corpus, Verodunum Meldis delatum, ibidem ante annum 1044, uti e proæine huc transcriptis Wasseburgii verbis fas est colligere, ac ipsemet, qui tamen, ut vidimus, anno 1032 affigi posse translationem illam, putat, Duplessius tom. 1 Hist. Meldensis pag. 621 admittit, in lipsanothecam haud fuerit Veroduni illatum, futurumque fuisse, ut id, si eo jam inde ab anno 1032 sacrum istud pignus fuisset allatum, haud citius obtinuisset locum, verosimile haud sit.

apparet 1044.
Verodunum
vere,

65 *Esset quidem, cur quis, si id una cum hierotheca, cui Meldis servabatur inclusum, Verodunum inde fuisset delatum, existimare posset contrarium; verum sacra Sanctini ossa, lipsanotheca, cui Meldis includebantur, extracta, mercatoribus Verodunensibus tradita itaque ab hisce Verodunum delata fuisse, fidem facit supra huc e Calmeto transcripta sacerdotis Meldensis grandævi narratio. Omnibus itaque, quæ ad hoc argumentum spectant, sedulo expensis, mihi opinio, quæ corporis S. Sanctini Verodunum translationem anno 1044 innectit, opinione opposita, quæ hanc anno 1032 illicat, verosimilior apparet, eique ut tali puto adhaerendum. At vero, inquires, ut quid hic tam multa de anno, quo facta sit, de qua hic agimus, translatio? Ipsemet eventus isthic haudquaquam apparet certus, seque penes anno 1259 adhuc existisse ac proin Verodunum Meldis vel anno 1032 vel anno 1044 non fuisse translatum S. Sanctini corpus, decanus et capitulum Meldense, uti horum dicto anno 1259 datæ supraque num. 17 huc transcriptæ litteræ fidem faciunt, credere. Fateor, sic habet; ast capitulum illud seu ecclesiæ Meldensis canonicos ea in re deceptos verique Meldis S. Sanctini corpus Verodunum translatum ac ibidem in S. Vitoni abbatiâ depositum fuisse, unusquisque, ni fallor, e jam nunc dicendis facile agnoscat.*

ut in scripto
hic allegata

C

66 Adalbero, nominis hujus secundus Verodunensis episcopus, qui, quemadmodum episcoporum Verodunensium Catalogus, jam supra sæpius laudatæ Calmeti de primis ecclesiæ Verodunensis episcopis Dissertationi subnectus, nos docet, Verodunensem sedem ab anno 1131 usque ad annum circiter 1150 occupavit, anno 1132, ut Wasseburgius in suis Galliæ Belgicæ Antiquitatibus fol. 234 verso docet, sacrum S. Sanctini, prout Veroduni certe putabatur, corpus in novam lipsanothecam transposuit, tumque, ut item Wasseburgius ibidem ait, in capsâ antiqua, e qua illud tunc extractum, inventa est sequens isthæc epitaphii in modum composita inscriptio: Hic jacet santi Sanctini præciosissimum corpus, qui fuit sanctæ Viridunen. ecclesiæ doctor et episcopus primus. Meldensium quoque a sancto Dionysio Areopagita pastor consecratus, dum ipsius jussu post martyrium ejus cum Antonino Romam tenderet, et per hanc civitatem (Verodunensem nimirum) transitum facerent, Verbumque Vitæ civibus prædicaret, et quamplurimos ad fidem Christi convertisset, Dei nutu in ecclesia S. Petri, in qua primum Baptismi Sacramentum fecerat, ipsamque episcopali benedictione consecrarat, omnibus Christianis applaudentibus, episcopus est electus. Postea secundum Dionysii sancti præceptum Romam tendens in Italia condiscipulum Antoninum febre valida defunctum meritis resuscitavit et eum ipso, per-

fecto spirituali negotio, ad urbem Viridunen- sem est reversus Meldisque plenus virtutibus in pace defunctus est. Cujus hæc præciosissima ossa Viridunenses negotiatores post multa tempora præcio comparaverunt, indeque huc detulerunt et in hoc (S. Vitoni) monasterio honorabiliter recondiderunt. Ubi etiam fulget ex tunc multis miraculorum signis eternalis ejus memoria et permanebit in seculorum secula.

67 *Inscriptio isthæc, quam Richardus I, Verodunensis episcopus, dum Veroduni primum, quod e dictis anno 1044 factum, eo Meldis allata sacra S. Sanctini ossa lipsanothecæ includeret, apponi hisce, ut Wasseburgius loco proæine cit. docet, curavit, non pauca, quæ in commentitiis Hincmari supra huc transcriptæ epistolæ inclusis S. Sanctini Actis continentur, complectitur, estque etiam anonymo horum scriptore, utpote qui certe e dictis haud serius quam sec. ix floruerit, multo posterior. Verum, etsi sic habeat, fuit tamen, uti e jam dictis nemo non eruet, haud diu post S. Sanctini, quam memorat, translationem, Verodunum Meldis factam, composita, nihilque, ob quod in iis, quæ de hac tradit, suspectæ habeatur fidei, occurrit. Quare, cum nec ullo modo cum supra huc transcripta sacerdotis Meldensis relatione pugnet, enimvero quin vere, ut affirmat, pretiosissima S. Sanctini ossa et a mercatoribus Verodunensibus pretio comparata et Verodunum, ubi in S. Vitoni monasterio deposita postea plus semel Hierothecis notis decorata fuerunt, delata Meldis fuerint, dubitandum amplius non est. Fieri quidem sacrorum illorum pignorum emptio et venditio absque ingenti ac turpi reatu haud potuit. Verum eo, Mercatores quidem Verodunenses vehementissimum ac modum excedens sibi sacras Viri sancti, a quo civitatem suam æque ac Meldensem fidei lumine illustratam fuisse credebant, exuvias adipiscendi studium, harum vero custodes presbyteros Meldenses immodica pecuniæ, qua victum comparare mortemque e fame, regionem quam maxime premente, sibi timendam devitare possent, aviditas potuit abripere.*

probat, fuit
delatum, pos-
tea ibidem.

E

F

68 *Nec est etiam, cur cuiquam mirum admodum accidat, penes sese exstare S. Sanctini corpus, quod e jam dictis Verodunum Meldis, et quidem haud serius quam anno 1044, fuerat delatum, canonicos Meldenses anno 1259 adhuc credidisse, tuncque etiam litteras, num. 17 huc transcriptas, quibus id a sese credi prodiderunt, dedisse. Sacerdotes Meldenses, qui S. Sanctini corpus mercatoribus Verodunensibus, ut dictum, vendidere, hisce sola, uti e sacerdotis Meldensis num. 59 huc transcripta relatione fas est colligere, sacri istius pignoris ossa, non autem etiam, in qua hæc Meldis servabantur inclusa, lipsanothecam concessere, cumque sacris, quæ ex hac extraxerant Verodunensibusque pretio accepto tradiderant, S. Sanctini ossibus alia quæpiam, quo turpe istud imprimique sum facinus occulerent, vel S. Sanctini vel alterius cuiuspiam Sancti ossa verosimillime substituerint, facile factum esse potest, ut hæc canonici Meldenses, fraude illa decepti, pro S. Sanctini ossibus acceperint; cum autem sic habeat, quid mirum, eos ditissime adhuc, imo usque ad annum utminimum 1259, quo per litteras, num. 17 huc transcriptas, S. Sanctini*

communicata
etiam cum Mel-
densibus ejus
parte.

A etini, ut putabant, costam unam San-Dionysianis in Francia monachis dedere, penes sese adhuc, reclamantibus licet Verodunensibus, exstare S. Sanctini corpus, credidisse? Verum id constanter persuasum sibi usque modo habuisse haud videntur. Anno enim 1622 os femoris veluti verum femoris S. Sanctini os, a Verodunensibus, quod alioquin haud facturi fuisse videntur, accepere, uti fidem facit, quam Duplessius inter documenta, Historiæ Meldensi probandæ subservientia, tomo hujus secundo pag. 384 et seq. recitat, Dominici Sequieri, Meldensis episcopi Charta.

in hierothecas
novus plus se-
mel fuit trans-
positum.

66 Hac ille die xxx Octobris anno 1658 a sese translata capsæque ex argento inauratæ, quam ecclesiæ suæ Meldensi dederat, inclusas fuisse plures Sanctorum, quos nominat, sacras reliquias, attestans, primo loco hisce accenset femoris S. Sanctini os, a Verodunensibus, ut addit, monasterii S. Vitoni religiosorum nostræ, prout ex dictorum religiosorum testimonio, anno 1622 die XXI Julii dato, liquet, concessum. Porro S. Sanctini corpus, cujus partem et a Verodunen-

sibus ecclesiæ Meldensi fuisse concessam et hodieque abs hac perhonorifice asservari, nemo non e jam nunc dictis etiam colliget, ipso anno 1044, quo verosimilius, ut supra docui, Meldis Verodunum ad S. Vitoni abbatiam fuerat delatum, a Richardo, nominis hujus primo Verodunensium episcopo, feretro primum seu capsæ argenteæ inclusum, anno deinde 1132 ex hac in capsam novam ab Adalberone Verodunensi episcopo, qui illam, priori pretiosorem, fieri jusserat, Dominicæ Ascensionis festo fuit illatum ac tandem anno 1477 in capsam majorem vermiculatam gemisque ornatam, cui inclusum in dicta S. Vitoni abbatia hodieque servatur, a Mattheo de Dame-Marie, abbatiæ ejusdem, qui illam hujus sumptibus fabricari tunc curarat, abbate transpositum; quæ omnia partim in suis Galliæ Belgicæ Antiquitatibus fol. 234 verso Wasseburgius, partim, qui hunc seculi ut plurimum hic sunt, Calmetus et Duplessius, prior quidem in sua jam supra sæpius laudata de primis Verodunensibus episcopis Dissertatione col. 68, posterior vero Hist. Meld. tom. 1, pag. 5 nos docent.

E.

DE S. SARMATA MARTYRE

IN THEBAIDE

SYLLOGE

ANNO CCLVII.
Quamvis sit, in
qua S. Sarmata
hodie annun-
tiatur,
Thebis:

Aegypti seu soli, quod Nilus ab Austro in Septemtrionem permeat annuaque exundatione fecundat, notitiam amplam suppeditat Operis nostri tom. 2 Januarii in Commentario, Actis S. Antonii in Thebaide abbatis prævio Bollandus, regionemque, in Africa sitam, quæ a locis Syenæ Vicinis ad mare usque Mediterraneum protenditur, tres in partes, videlicet in Ægyptum inferiorem, mediam et superiorem seu Thebaïda distingui, num. 2 præfatus, Ægypti mediæ, quæ et ob septem, Græcæ Ἑπτὰ, quas complectebatur, præfecturas, Græcæ Ἑπτὰ, Ἐπιτροπῆς, Latine Heptanomis seu Heptanomia, a Ptolomæo vocatur, portionem seu partem ab Athanasio, Palladio aliisque sec. IV scriptoribus ac nominatim, qui ad dictam Heptanomiam spectant, Memphiten, Arsinoïten et Aphroditen præfecturas seu potius (a Latinis enim vocabulum Νομός, significatione etiam usurpatur) Nomos ab Hieronymo et Rufino Ægypto inferiori, quæ et magnum Delta et Augustamnica indigetatur, includi reliquaque ejusdem Heptanomiæ loca Thebaïdi, quæ in Vita S. Pauli Eremitæ inferior dicitur, annumerari, citatis, qui eo spectant, eorundem Athanasii, Palladii, Hieronymi et Rufini locis, num. 4 docet. Porro modo dicta, cui a scriptoribus hisce, quæ Bollandus ait, attribuantur Heptanomiæ loca, Thebais inferior, non autem, quam Syene et Tabennensium loca claudunt, superior, ea ipsa est Thebais, in qua ad hanc diem a Martyrologio Romano hodierno Sanctus, de quo hic sumus acturi, Octobris Tomus V.

annuntiatur his verbis: In Thebaide S. Sarmatæ, discipuli beati Antonii abbatis, qui a Sarracenis pro Christo necatus est.

2 Is enim S. Antonii discipulus in monte et monasterio, a Sancto hoc dictis, vixit et a Sarracenis, uti mox sumus visuri, fuit occisus; utrumque autem hunc locum, spectata, quæ e dictis S. Athanasii aliorumque mox memoratorum scriptorum ævo obtinuit, Ægypti divisione, in Thebaide inferiori seu Heptanomiæ, quam hæc complectebatur, parte situm fuisse, si non prorsus certum, vero saltem est simillimum, uti e jam nunc dicendis intelliges. Montes duos, S. Antonii nomine distinctos, quorum alter, exterior dictus, Nilo adjacebat, alter, interior vocatus, triginta circiter abs hoc milliaribus aberat, ex Athanasio in S. Antonii Vita Bollandus in suo in hanc Comment. supra laudato § 2 statuit. Posterior, qui a Strabonis, Ptolomæi et Stephani monte Troico haud distinguendus, amicum erat, in quo sedens divinis visionibus illustratus fuit Antonius, virtutis habitaculum, seu, ut ab Athanasio in sancti hujus Vita nuncupatur, interius archisterium, prior vero, qui Pisper, Pispir seu Pispiri appellabatur, nec, uti e Bollandi in Comment. mox iterum laudato num. 9 dictis apparet, a pago Troia Angyrorumque civitate multum erat remotus, præcipue hic memorandum S. Antonii, in quo hujus discipuli commorabantur et ad quod ipse e monte interiori subinde tendebat, monasterium complectebatur; jam vero, cum Athanasii ævo, spectata, quam hic aliique scriptores supra laudati sunt secuti, Ægypti

situm verosimillime in hac fuit monasterium, S. Antonii dictum.

78 divisione,